

05

A

1916





CONTROVERSA
De
UNIVERSA-
LITATE MERITI
CHRISTI,

Ut, quantum Calvinistæ Mar-
chici in scripto suo, *Gulden Kleinot vom Tode Christi*/
etc. circa eam simpliciores fallere conentur, Ecclesiæ ob
oculos statuatur,

*Ex Autoribus idoneis formata, ex ver-
bo Dei decisa,*

ET

ORDINARIAE DISPUTATIONIS LOCO
in Inclytâ V Vittebergenfi Academiâ
publicè proposita

à

NICOLA O HUNNIO D.

Prof. Publ.

Respondente

M. ÆGIDIO HUNNIO V Vittebergenfi.

17. Octobr. horis matutinis.

VVITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS MATTHEI.
ANNO M. DC. XVII.



50 A 1910

NICOLAUS HUNNIO

M. GIDIO HUNNIO

WITTENBERG

ANNO M. DC. LXXI





THESIS I.



V X quisquam Christianorum est, quem fugiat, annos non paucos contendisse Calvinianos cum Lutheranis, ane Christus morte sua factus sit redemptor omnium omninò hominum, an verò aliquorum saltem, nimirum electorum?

2. Neque etiam adeò est hospes in Christianismi fundamentis piorum quisquam, qui nesciat, Calvinistas haectenus negativam defendere conatos, cum econtrà mortis Christi universalitatem docuerint ac propugnarent Augustanae Confessionis Ecclesiae.

3. Et sunt in promptu scripta publica, ultrò, citròque edita, quibus satis superque, quid utraque pars sentiat, declaratum, quibusve nitatur fundamentis, edoctum; unde quivis Christianus & de sententijs contrarijs statuere, & de re ipsa judicare potest.

4. Haectenus ergò nil esset opus uberiùs hanc materiam tractare, & controversiam discutere, nisi Adversariorum contendendi ac imperitos intricandi libido, status perversio, adeoque nusquam tutò consistens, sed modò huc, modò illuc fluctuans conscientia aliud flagitarent.

5. Prodiit namque superiore anno libellus quidam germanicus paucarum pagellarum, titulo admodum elato superbiens, *Gülden Kleinot vom Tode Christi/ das ist: Gründliche vnnnd richtige erklerung der Frage: Ob Christus für alle Menschen gestorben sey/ oder nicht? etc.* qui non uno nomine coram Ecclesia eiusque sponso Christo accusari meruit. *Primum* quidem, vult publicum haberi scriptum pag. 142, nec tamen vel publicum coetus ullius nomen praese fert; neque autore edit, per quem, cuiusnam Ecclesiae sit confessio, explorare liceat: & quamvis in Marchionatu Brandenburgico fuerit natus, neque tamen vel Ecclesiarum eius Electoratus, vel Ecclesiarum Palatinarum, Helveticarum, Hassiacarum, Anglicanarum &c: subscriptio, aut approbatio, per quam totius factionis Calvinianae hanc esse mentem & opinionem, cognoscere detur, ap-

paret usquam: quod argumento est, insignem sub eo fraudem latitare.

6. *Secundò*. Statum quæstionis formans opinionem suæ gentis tribus thematibus complectitur: 1. De proposito Dei, & Christi voluntate rotundè affirmat, Christum pro omnium hominum peccatis juxta æternum patris beneplacitum mori voluisse ac debuisse. 2. De meriti Christi sufficientia, adeò illud esse perfectum, ut ipso facto homines, siquæ his millies plures fuerint, sive in hoc, sive alio mundo, DEO reconciliare potuerit. 3. De applicatione, Christum, quantum ad applicationem, & fructum mortis suæ, non pro omnibus esse mortuum. Qua in parte, si ita candidè (quamvis diversum è membro secundo promineat) & sincerè sentit, non improbamus sententiam; in eo candorem desiderantes, quòd thesin suam pro veteri Calvinianorum doctrinâ vendit, quam toto cœlo ab ea (sine fraude intellecta) dissidere, sequentia monstrabunt. Sin autem veteres Bezae & successorum blasphemias hoc saltem fucò pingere, & imperitis instillare, animus est; factum illius toto pectore detestamur, vel inde perspicientes, quis Spiritus tenebrosus, sibi quæ nec bellè conscius, nec fidens, Calvinianos agitet.

7. Dum verò nostram sententiam percenset, fidem cum candore prorsus omnem abjecisse, deprehenditur, fingens, Jacobum, Andreæ, quæque cum eo faciunt, nostræ Ecclesiæ, hanc docere meriti Christi universalitatem, quæ non saltem patientis intentione, sed etiam *applicatione*, ac *reali beneficiorum perceptione* ad omnia humani generis Individua sese extendat.

8. Certò enim affirmamus, non solùm ex orthodoxis neminem ita docere aut docuisse, sed etiam quotquot controversiam hanc tractarunt, uno ore, ac voce, diversum se sentire, potestatos fuisse.

9. Non est igitur, ut adversarios in angustias redactos tam facile elabi, & opiniones prius nobis inauditas, ac semper damnatas obtrudi patiamur. Itaque occasione ficti illius, & fallacis clinodij nostram sententiam clarè exponere, adversariorum opinionem ex quibuscunque illorum scriptis eruere, utramque verò ad trutinam divini verbi exigere & examinare, cum DEO, cujus opem
ac Spi-

ac Spiritus sancti gratiam supplici corde petimus, est animus.

10. *Ordinem* sequemur istum: 1. Originem controversiæ explorabimus: 2. Terminos explicabimus. 3. Controversiam tribus in membris perpendemus: quorum *primum* voluntatem ac intentionem cum DEI mittentis, tum Christi patientis, & quousque utraque sese extendat: *secundum*; ipsius meriti latitudinem; *tertium* applicationem & fructum actualiter ad homines pertinentem; ex DEI verbo demonstrat. In his namque tribus capitibus universum hocce negotium consistit, & absolvitur. Singula verò membra 1. Statum formabunt. 2. Veritatem demonstrabunt. 3. Objecta refutabunt.

CAPUT I.

DE ORIGINE HUIUS CONTROVERSIÆ.

1. Nolumus de origine hujus controversiæ multum laborare. Refert eam *Anonymus* noster (hoc namque titulo clinodij fabrum notabimus) pag. 15. ad Jacobum Andreae, qui rem istam ultra 20. annos deliberatam, impredientibus ipsius Collegis, Brentio, Heerbrando, Schnepfio, qui in articulo prædestinationis cum Calvinianis fecerint, prius, quàm in colloquio Mompelgartensi, & confutatione Bibliorum Neostadiensium, publicè profiteri ausus non fuerit.

2. An non autem speciosam fabellam nobis narrat *Anonymus*? præterquam enim, quod unde ipsi, hi Doctoris Andreae conatus innotuerint, nullum fide dignum testimonium (quo æternùm destituetur) producit, sui potius capitis figmentum tot in eo latentibus falsitatibus manifestè probat.

3. *Primo* enim falsum est, Doctoris Jacobi Collegas in prædestinationis articulo fecisse cum Calvinianis. Videantur illorum, quæ extant, commentaria & disputationes: videatur Heerbrandi compendium; imò quicquid illi unquam ediderunt; & deprehendet pius Lector *Anonymum* non scripsisse, quæ virum bonum scribere convenit.

A 3.

4. Certè

4. Certè in nostra hac de Universalis Christi merito controversiâ, antequam in litem & contentionem veniret, omnium simplicissimè sunt locuti Wirtenbergici Theologi, ut clarissimis Scripturæ verbis vix quicquam interpretationis hoc in negotio adderent; quòd quenquam secus sentire ne suspicarentur quidem; supervacaneum ducentes lucem inferre soli, aut meriti Salvatoris universalitatem ijs verbis, quibus magis perspicua tota lingua non habet, expressam diducere vel explicare longius.

5. Unicum hoc fabulam anonymi confodit, quòd apud Wirtenbergicos non inveniuntur ea universalium promissionum particulares interpretationes, quas nobis reddunt Calviniani: nemo illorum interpretatur mundum de solis Electis: nemo omnes homines de paucis, ex varijs hominum generibus collectis &c. quod ipsos fecisse, summa exegisset necessitas: nam sine isto glossemate opinionem eam nemini persuaderi posse, & Calviniani experiuntur, & unusquisque facilè intelligit.

6. *Secundò falsum est, Iacobum Andreae, quò minus dogma de Universalitate meriti Christi faceret publicum, fuisse suos tum temporis Collegas reveritum.* Nam 1. docere oportuit, unde hic D. Jacobi metus Anonymo innotuerit. 2. Causa metus fuisset illorum dissensus; quem Anonymus docebit unquam. 3. Candidior fuit Jac. Andreae, quàm ut rem tantam adeò ageret subdolè (ejusmodi enim errorum aut opinionum per annos 20. & ultra, occultationis specimina & exempla his demum temporibus Calviniana gens Ecclesiæ exhibere cœpit) animosior, quàm ut in causa religionis quenquam metueret. 4. Imò; quare Collegas partim eosdem, partim alios non reveritus, quod sentiebat in Mompelgartensi Colloquio, & Bibliorum Neostad. confutatione profiteri ausus fuit?

7. *Tertiò falsum est Iacobum Andreae suæ sententiæ confessionem ad usq; Colloquium Mompelgart. distulisse.* Etenim; satis luculenter cum suis Tubingæ Collegis, ijsq; minimè reclamantibus duodecennio ante dictum colloquium exhibuit, editis Anno 1574. thematis de prædestinatione; in quorum 50. sic disserit, *quod non omnes salvantur, quos Deus non vult perire, neq; decretum DEI, quod nusquam in sacra Scriptura extat, neq; peccatum, quod impiis cum piis hominibus commune, in causa est: Siquidem omnes peccavimus, & pro peccatis TOTIUS MUNDI sufficienter satisfecit*

satisfecit Christus. Thesi 62. genere humano per totum orbem terræ disperso, cum DEVS peculiarem populum elegisset, in quo hæc doctrina de unico TOTIUS MUNDI Salvatore conservaretur, eundem in omnibus Monarchis illustrem reddidit. &c. Thesi 120. Vult DEVS, omnes homines audire verbum DEI: vult ut ei credant: vult audientibus dare fidem: nõ vult, ut pereat aut damnetur quisquam, sed ut per fidem in Christum omnes salvi fiant, cum PRO OMNIBUS MORTUUS SIT. Thesi 121. 122. Quod autem Christus dicit: Se orare non pro mundo, sed pro his, quos dedit ei Pater, non vult quod DEVS nolit mundum salvum fieri. Cum DEVS Pater mundum, mundum inquam sic dilexerit, ut daret unigenitum Filium suum pro eo: sed quia mundus non vult audire verbum DEI, quod persequitur. Quem verò hic D. Jacobus metuerat? quis confitenti se opposuit? Nemo Collegarum, quos supra mendaciter allegarat Anonymus.

8. Adde: Heerbrandum sententiæ Jacobi Andreae claris verbis subscribere *Compendio An. 1578. edito: loco de Electione mihi pag. 470. ubi sic disserit: Patrem MUNDUM ita dilexisse, ut Filium suum unigenitum pro illo dederit: & velle OMNES homines salvos fieri. Pag. 473. promissiones gratiæ maximè sint Vniuersales. Posuit Dominus super eum (Christum) OMNIUM nostrum iniquitates. Sic DEVS dilexit MUNDUM, ut Filium suum unigenitum daret, ut OMNIS qui credit in eum, non pereat, &c. Pag. 477. Sic accipiatur id, quod Christus dicit Ioh. 17. se orare non pro mundo, quem tamen DEVS salvari vult, & propterea misit Filium, & dilexit MUNDUM Ioh. 3. Quia MUNDUS NON VULT audire nec accipere verbum DEI fide, sed contemnit. Satis de nugamento Anonymi.*

9. Porro: quæ sit controversiæ prima origo, altius petere nil forsitan opus fuerit. Calumniam saltem noto adversariorum, qui hanc nostram doctrinam & in scripti sui titulo & pag. 47. Pelagio auctori ferunt acceptam. Etenim in Catalogo errorum Pelagij hic nunquam deprehenditur. Reticuit sanè illum Augustin. l. de hæres. ad quod vult DEVM: Meminit verò. Epi. 106. ad Bonifacium tom. 2. Pag. mihi 488. lit. C. erroris Pelagiani, quod neq; per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus humanum resurgat. Quod si ita est, falsissimum sit oportet, Pelagium Christi meritum asseruisse universale: quin potius certissimum, cum Calvinianis dixisse particulare. Sed antiquitatis eam Pelagij doctrinam, ut ipsi peculiarem asserentis, utque falsam improbantis testimonia nobis exhiberi petimus.

10. Sed

10. Sed quem fugit, etsi jam olim Lutherani & Calviniani dissona hinc inde docerent, non tamen prius hac de re controversiam exarsisse, quàm in *Colloquio Mompelg.* Jacobus Andreae particulari dilectioni DEI locum Joh. 3, 16. Sic DEUS dilexit mundum &c. opponeret? Eum namque particularem reddente Theod. Beza & MUNDUM per Electos interpretante, cum D. Jacobus & DEI dilectionem & Christi satisfactionem universalem assereret; Beza, opposito dicto Salvatoris: non oro pro mundo; in hanc controversiam Jacobum Andreae pertraxit. Cui narrationi fidem faciunt *Acta Colloq. Mompelg. pag. 540. & seqq.* Atque hæc de origine controversiæ sufficiant.

CAPUT II.

DE TERMINORUM IN CONTROVERSIIS OCCURRENTIUM GENUINO SENSU.

1. Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, Catholica & Christiana fides docet. Pro cujus expositione voces in ea assertionem occurrentes ordine sunt considerandæ.
2. I. CHRISTO mortem & passionem tribuentes, quo ad morientis substantiam personam *ἑαυθραπον* designamus. Ut enim morbi, vulnera, mors hominem integrum afficiunt, (quamvis ratione alterutrius partis *συζητηῖς* id fiat) ut Malchum, non auriculam, vulneratum, Cainum, non illius animum dolere, propriè dicam. Sic Christus, persona unica duabus naturis constans passus est; non caro, non Deitas. Sunt enim *ἀποτελέσματα* personarum.
3. Dum verò ejusmodi attributa personæ quidem, at ratione alicujus partis essentialis, convenire dicimus; abs morte tamen, & passione Deitatem (impatibilem illam & immortalem) minime excludimus; Deitatem verò passam nequaquam asserimus: sed uti anima, ob personæ unitatem, passionum corporis fit particeps, quamvis ipsa in se, & immediatè non patiatur; ita factum in Christo, ut Deitatem passio non tangeret, at Dominus gloriæ crucifigeretur *1. Cor. 2, 8.* Autor vitæ interficeretur *Act. 3, 15.* Et DEUS pateretur, IN CARNE *1. Pet. 4, 1.* Hoc est; natura humana dolores exciperet, animæ

animæ & corporis dissolutionem pateretur; personâ hæc propriè
sufferente; deitate verò pondus & virtutem addente.

4. *Quod officium*; designat propositum, consilium & volunta-
tem Filij Dei in subeunda morte: imò & cœlestis Patris, ut annotat
Anonymus. pag. 21. Imposterum Ergò, ubicunque controversia no-
stra CHRISTI mentionem fecerit; personam quidem principali-
ter ac primò notatam; intentionem Dei, ac voluntatem Christi
connotatam volumus.

5. II. MORS Christi interdum *omnes actus satisfactionis* pro pec-
catis nostris præstitæ generaliter complectitur; nimirum pauper-
tatem, Matth. 8, v. 20. 2. Cor. 8, v. 9. formæ servilis assumptionem, Phil. 2, v.
7. obedientiam patri ad crucem usque exhibitam v. 8. passiones,
plagas, verbera, Es. 53, v. 4. & seqq. Illusiones & larcasmos v. 22. v. 7. &
seqq. Sitim, v. 69. v. 22. angores conscientiæ, Matth. 26, v. 38. & quæ a-
lia; mortem denique in cruce passam: quia mors omnium passio-
num est complementum, clamante Domino, cum jam mors in-
staret: Consummatum est. Ioh. 19, v. 30. Aliàs *solam animæ & corporis
dissolutionem*. Etsi verò posteriorem hunc significatum in contro-
versia præsentem obtinere credamus; quia tamen de universo eius
merito sic agitur; ut satisfactio & mors indiscretè posita, quæstio-
nem non varient; utique priorem multò convenientiorem esse
existimabimus. Mors igitur Christi totum illius meritum nobis
significabit.

6. III. PRO: Hanc vocem etsi in controversiam trahant hodiè
Photiniani, satisfactionem nostri loco præstitam inferri & colligi,
hinc inde pernegantes; quòd tamen cum illis nunc litigare ani-
mus non sit, totam illam controversiam hîc præscindimus, ceu rem
alibi demonstratam ac demonstrandam; præsupponentes (siqui-
dem & Calvinianis eo in capite nobiscum eadem mens est) parti-
culam PRO peccatorum nostrorum, vice nostri per passionem
ac mortem à Christo factam, expiationem, & pro illis præsti-
tam satisfactionem designare; ut ipse solverit, quod nos rapue-
ramus Ps. 69, v. 5. Ipse castigatus, ut nos pace frueremur; ipsi livor, ut
nos sanaremur Es. 53, v. 5.

B

7. Hab

7. Hallucinatur verò Anonymus noster in vocis hujus explanatione scribens: pro aliquo mori in scriptura, historijs & judicijs politicis nil significat aliud, quàm vitam pro altero ita profundere, ut apud illum nulla moriendi necessitas maneat; sed ipse mortis periculis ereptus conservetur in vita. pag. 40. Quibus postremis verbis & generatim omnem per mortem factam, & speciatim morte Christi partam redemptionem statuit inferre *actualem partem libertatis applicationem & fruitionem*. Idque perspicuè magis exponit pag. 22, Vocula PRO mortis Christi fructum, operationem & applicationem notat, & hunc questionis sensum reddit: An mors Christi omnibus hominibus fiat salutaris, hoc est, an omnes homines, (non habitâ ratione fidei aut incredulitatis) à peccatis redempti, Deo reconciliati salvi fiant, an non?

8. Etenim: si libertatem per eiusmodi mortem acquisitam respicias, utique nulla jam moriendi necessitate redemptus tenetur: Si verò actualem liberationis usum; negari non potest, ex morte redemptum in eandem semetipsum rursus percipitare posse. Deinde, quod ad mortem Christi, distinguenda est vox *Applicationis*. Ea enim fit aut per *intentionem & voluntatem Dei*, quâ ipse uti Diabolus meritum Filij sui non applicuit, hoc est, non voluit unquam, lapsos angelos morte Christi restituere; ita hominibus applicuit, hoc est, intendit ac voluit humanum genus restaurare: Atque hanc applicationem universalem agnoscimus, mortem Christi omnibus, pro quibus eam ille subijt, applicari, atque hoc particula PRO notari asserimus.

9. Aut fit per *conditionem hominum*; qui etsi meritum Christi nunquam sibi applicare (quod Dei opus est, non humanarum virium) attamen abs se per incredulitatem repellere possunt: quo sensu cum increduli extra Christum constituti, meritum eius sibi per fidem suam non faciant; quod fit à solis credentibus: utique (in respectu fidei & Incredulitatis) his meritum Christi applicatum, illis non item, statuimus; omninò negantes, omnem PRO quo Christus mortuus, fructum illius actualiter percipere, mortisque periculis ereptum in vita conservari; adeoque hanc actualem applicationem particula PRO designari. De quo in sequentibus plura.

10. IV. OMNES. Non uno eodemque sensu vocem hanc usurpari, non inviti concedimus. Cum verò ambiguitates, ubi causa
nulla

nulla postulat, devitare conveniat; in controversia hac OMNIS non genera singulorum, non coetum bonorum, neque congregationem malorum; sed utrumque, *singula generum*, universam humanam specie, & quicquid omnino sub nomine ac titulo hominis (solo Christo excepto) verè ac realiter continetur, hoc est, omnes ac singulos homines, qui unquam ab orbe condito vixerunt, vivunt hodiè, & ad usque adventum Filij hominis vivent, nobis notabit.

CAPUT III.

CONTROVERSIA PRIMA

An Deus voluerit, Christum singulos homines redimere, & Christus omnium salutem reparare intenderit?

1. Ad primam controversiam nunc accedentes, tria, quæ diximus, pensi habebimus: 1. Statum controversiæ formabimus. 2. Fidei *ὀρθοδοξίαν* demonstrabimus. 3. Objecta confutabimus.

2. PRIMUM MEMBRUM. Ut Controversia evadat perspicua, opinionem Calvinianam & sententiam Lutheranam opponemus. Est verò LUTHERANORUM sententia, qualis in scriptis eorum hinc inde conspicitur, de proposito Dei & intentione Christi circa expiationem peccatorum, ista.

3. Deus Filium mittens in redemptionem hominum non modo ipsum voluit offerre sacrificium expiatorium, & divinæ Iustitiæ satisfactoriū pro hominibus ab æterno electis, Abrahamo, Petro, Johanne, &c. verum etiam pro Caino, Saule, Herode, Pilato, Iuda, adeoq; pro omnib. omnino hominibus; ut, quantum ad Dei propositū & passionem ipsam attinet; nullum fieret discrimen piorum & impiorum; quia dilectio, quâ motus Filium misit, generalis est, & ratione bonorum atque malorum omnino indifferens. Huic divino proposito conformis erat intentio Christi satisfaciens; quam itidem indifferenter extendebat ad Electos & reprobos.

4. Declaro similibus, quibus vel scriptura utitur, vel noster Anonymus. 1. Quemadmodum *serpens aeneus* in deserto suspensus fuit,

fuit, ita exaltari oportuit Filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam. Ioh. 3. v. 14. & 15. Aeneus serpens virtutem vulneribus medendi per se non habuit, sed per dispositionem & voluntatem Dei. Haecenus ergo sufficiens hoc fuisset medium sanandi omnes à serpentibus vulneratos: quia autem propositum fuit Dei, ut signum erectum medicamen esset Israelitis (non item alijs populis) neque omni tempore, sed tantum in deserto, Num. 21. v. 8. & 9. ideò nemini etiam extra hoc Dei consilium & voluntate, omnib. tamen in deserto vulneratis Israelitis, sive bonis, sive malis, prodesse potuit. Sic voluntas & intentio Dei secus se habet, quatenus voluit serpentem mysticum omnib. prodesse, non saltem Judæis, sed gentibus etiam, neque uno certo tempore viventibus; sed omni seculo; In eo tamen accuratè comparatur; quòd, ut serpentem erexit Deus, consilio medendi vulneratis omnibus, sive illum postea aspexerint, sive despexerint: Ita voluntas Dei (quæ facit, ut passio Christi pro hoc illove sit λύτρον) omnibus sive credentibus, sive non credentibus Christum Salvatorem proposuit.

5. *Christi meritum est αντίλυτρον* 1. Tim. 2. v. 6. hoc est, precium, quod pro facinorosorum, aut captivorum redemptione ac liberatione exolvitur. Sint floreni mille, quibus Romano Imperat. animus est decem Christianos è captivitate Turcica redimere. Sufficit λύτρον pro redimendis decem captivis, qui tenentur Belgradi, sufficit pro redemptione aliorum decem Constantinopoli: sufficit pro aliorum Damasci contentorum &c. Pro singulis sufficiens est λύτρον; quia verò Imperator Constantinopolitanos, non Damascenos, non Belgradenses redimere constituit, fiunt utique mille isti floreni λύτρον Constantinopolitanis, cæteris non item, quamvis pro illis suffecissent, si mens hæc fuisset, ac propositum Imperatoris. Ita credimus, fuisse propositum patris, ut filius ita pro omnib. hominibus solveret λύτρον, quæadmodum Imperator solvit pro Const: captivis.

6. *Christus debitum persolvit alienum* ψ. 69. v. 6. *quod non rapui, exolvi.* Sint tres debitores obærat, ideoque in foro accusati: misereatur homo dives (qui absque rerum suarum dispendio omnium debita exolvere posset) Petri ex illis, eiusq; loco creditori satisfaciat, cæteris, Tito, & Luca relictis: illi sufficiens quidem pro liberatione omnium fuit pecunia, sed dum pro cæteris exolutam noluit, vel etiam quòd depositum argentum voluit

voluit esse λύτρον Petri, non autem Titi vel Lucæ; testatur, ut aliquid sit λύτρον non sufficere opum quantitatem, sed intentionem ex solventis esse cum primis necessariam. Credimus nos, quemadmodum dives ille pro Petro debitum solutum voluit, sic cœlestem patrem voluisse filium pro omnibus hominibus solve.

7. *Pharmacopolium* benè instructum: (*Anon. pag. 31. 32. 40.*) sufficiens pro pellendis morbis hominum, non saltem in eodem oppido viventium, vel etiam vicinorum & hospitem, sed etiam eorum, qui quàm longissimè absunt. Instructum verò est pro solis civibus, vicinis, & hospitibus, non pro incolis Insularum fortunatarum, aut Antipodibus. Sic Christi meritum potuisset sufficiens esse pro peccatis tollendis etiam damnatorum, quamvis Deus non intenderit in eorum salutem filium passioni subicere. Credimus autem, què admodum pro omnibus & solis civibus, vicinis & hospitibus pharmacopola sufficientia media præparare intendit: sic Deum in morte filij sui omnibus omninò hominibus antidotum sufficiens præparare intendisse.

8. (*Ibi venduntur in foro, carnes, pyra, poma &c. (Anon. pag. 33.)*) Sufficientes pro alimentis hominum, imò & canum, porcorum, murium &c. Ut verò cibi nec ideò venduntur neque emuntur, (uti à Creatore nec ideò primò sunt conditi) ut bruta ex illis alantur, sed homines: ideò sufficientiæ adjunctam oportet esse voluntatem & intentionem. Sic dici potest Christi meritum sufficiens etiam pro damnatis, quamvis Deus spirituales hunc cibum eo fine non dederit, ut in salutem cederet reprobis. Credimus verò, uti cibi intentione vendentis venales in foro exponuntur pro usu hominum, sic Deum exponere meritum filij sui, omnium hominum salutem intendendo. Quæ similia, quam nos voluntatis divinæ universalitatem credamus, satis perspicuè docent.

9. CALVINISTARVM mens hæcenus fuit longè diversa, imò directim opposita. Negant enim hanc Universalem DEI Christum mittentis voluntatem, & patientis Christi intentionem. Idq; probo.

10. 1. A clarâ assertionem. *Beza Resp. alt. ad Colloq. Momp. p. 213. Det mihi vel unicū probatæ fidei interpretè D. Andreas, qui docuerit patrem unquã decrevisse filium mittere, vel filiū suo tempore misisse, ut singulos natos homines per misericordiã servaret. Nam id certè si decrevisset, etiã fecisset. p. 218.*

Controvertitur, an DEVS (quod ille affirmat, ego verò inficior) sicut singulos, nemine prorsus excluso, semper voluit servatos, ita Filium pro illis singulis passurum miserit &c. An verò (quod ego tueor, & ille inficiatur) sicut ab eterno DEVS immutabiliter constituit, quos ipsi libuit, per justas in ipsis haerentes causas perdere &c. sic etiam solus suis illis servandis Christum suum exhibuerit?
P.221. Iteram autem dico, & coram tota Ecclesia DEI profiteor, falsum, blasphemum, impium esse, dicere, Christum, sive quod DEI consilium attinet, sive quod ad effectum, NON MINUS pro damnandorum, & eterno iudicio adjudicandorum peccatis passum, crucifixum, mortuum esse, & satisfacisse, quam pro peccatis Petri, Pauli, & omnium Sanctorum. Pag. 217. Illud PRO vel consilium Patris, ex quo passus est Christus, vel ipsius passionis effectum, vel potius utrumque declarat; quorum neutrum ad alios, quam ad electos spectat.

II. Hieron. Zanch. miscell. pag. 332. Culpa, cur efficax sit mors Christi in reprobis, in ipsis reprobis residet, nempe infidelitas & fidei destitutio. Ceterum, quia fides à DEO est, & hanc dat, dareque decrevit solus Electis, & spectato DEI proposito, Christus tantum pro illis efficaciter mortuus est, qui credituri erant in se: sicut & in oratione ipse dixit: Non rogo pro mundo: sed pro ijs, qui credituri sunt in me: Idcirco spectato etiam DEI proposito, verè dicimus: Christum non esse mortuum efficaciter, nisi pro Electis: hoc est, DEI propositum fuisse, ut in solis Electis mors Christi suam haberet efficaciam, Idem l. 5. de nat. Dei. c. 2. quæst. 1. th. 1. pagina mihi 649. Christum pro solis electis secundum propositum patris, passum & mortuum esse, docent isti loci. Hic est sanguis meus, qui pro vobis (Apostolus) & multus effunditur. &c.

12. Guiliel. Bucanus, Instit. loc. 36. q. 23. Si propositum, consiliumque DEI aeternum, voluntatemque Mediatoris intuearis, pro solis electis mortuus est. Barthol. Keckermannus System. Theolog. l. 3. c. 4. pag. 341. Ut officium Propheticum, ita etiam sacerdotale pertinet ad solos electos: nam pro horum peccatis TANTUM Christus satisfacere VOLUIT. Amand. Polanus Syntagm. Theol. l. 6. c. 18. pag. mihi 183. Mundi nomine in illo (pronunciato Christi Johan. 3.) electi DEI tantum intelliguntur, quorum amore DEVS Filium suum unigenitum dedit: ad quorum salutem DEVS filium dedit; quibus SOLIS eundem donavit. pag. 193. Si eam (enunciationem, Christus venit servare universos homines) intelligant, quemadmodum intelligunt hoc sensu, Christum venisse servare universos & singulos homines nullo excepto, tum falsa est, quia cum Scriptura pugnat. Item: si Christus venit servare universos & singulos homines nemine excepto, & tamen non servarunt peni-

penitus omnes, sed soli credentes in Iesum Christum & respicientes: tum Christi sine adventus & propositi sui fuerit frustratus &c. Thes. orth. fid. clas. 1. loc. 7. thes. 13. dici non potest, DEI voluntatem simpliciter & proprie fecisse, ut Christus pro salute omnium moreretur, id est, ut omnes per ejus mortem servarentur: ac proinde Christum secundum propositum patris mortuum esse, sed tantum (ut loquuntur) sufficienter.

13. Anonymus noster in gülden Kleinot cap. 6. pag. 54. mortem Christi ratione fructus credentibus propriam ex Joh. 17. probaturus, sic argumentatur: Si Christus pro incredulo & damnato mundo orare NOLUIT, multò minus pro eodem VOLUIT MORI: Etsi verò de applicatione illic agat, attamen à Christi voluntate ad applicationem argumentatur, utramque particularem faciens. pag. 58. patet, DEVM NON DEDISSE Filium suum pro impijs & damnatis in mundo, sed pro ijs qui justificantur, & cum DEO per Christum reconciliantur, hoc est, fidelibus.

14. II. A particularitate dilectionis Dei. Sic enim colligo. Quemcunque DEUS per Filium retinere voluit, & filius pro eo satisfacere intendit, is prius ab eo fuit dilectus. Ratio: Est enim dilectio missionis filij effectus, & illa hujus certissimum ac infallibile signum. Confirmatur I. Scriptura: Ioh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret &c. Ephes. 5. v. 25. Christus dilexit Ecclesiam suam, & tradidit &c. I. Joh. 4. v. 9. In hoc apparuit charitas DEI in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit DEVS in mundum, ut vivamus per eum. cap. 3. v. 16. In hoc cognovimus caritatem DEI, quoniam ille animam suam pro nobis posuit Rom. 5. v. 8. Commendat Deus caritatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. 2. Adversariorum confessione, Zach. Ursinus part. 2. catech. de prædest. quæst. 5. pag. 410. Dilectio, hoc est, gratuita electio, est causa missionis Filij.

15. Hier. Zanch. de nat. DEI, lib. 5. cap. 2. quæst. 1. thes. 1. pag. 649. Evangelium annunciat, pro quibuscunque mortuus est CHRISTVS, quorumcunque peccata expiavit CHRISTVS &c. Eos omnes ante mundi constitutionem fuisse ad hæc in Christo electos. Amand. Polanus Synt. Theol. lib. 6. c. 18. Pag. 178. Pro quibus censebimus Christum mortuum, nisi pro ijs, quos causa Christum ad moriendum impellens attingit? Quæ verò est illa? Annon dilectio? dicente ipso Domino, majorem caritatem nullus habet, quàm istam &c. Pag. 186. Quos Deus dilexit, eorum causa misit Filium, ut esset propitiatio pro ipsorum peccatis. At solos credentes in Iesum Christum

Christum, Deus dilexit, Ergò solorum credentium, causâ misit filium, ut esset propitiatio pro ipsorum peccatis. Sic propositionem putamus stabilitam, Cujus conversa sponte sequitur: E. Quicumq; dilectus nõ est, pro eo neq; DEUS VOLUIT, ut filius satisfaceret, neq; ipse satisfacere instituit.

16. Subsumo: Atqui: Reprobos, maximam scilicet humani generis partem, DEUS (ex mente Calviniana) nunquam dilexit: Etenim, Polanus verbis modo adscriptis protinus subjungit. Reprobos verò tantum abest, ut Christus dilexerit, ut illis in extremo mundi die sit aperte professurus, se nunquam eos novisse Matth. 7, 23. Jam quos Christus nunquam novit, hoc est, pro suis habuit, eos profectò nunquam dilexit. Zanch. lib. 3. de nat. Dei. cap. 4. th. 2. p. 374. Adferet quidem caussam Christus in die judicij, cur non recipiat in æternam vitam impios: quia nimirum opera bona non præstiterunt: & ex consequenti non declararunt, se esse ex numero illorum benedictorum à Patre, qui credunt in Christum. Atq; hæc causa vera & certa est: interim tamen primaria causa hæc non est, sed voluntas DEI: quia scilicet DEUS ab æterno noluit eos in numerum suorum recipere: & eorum misereri. Bucanus Instit. loc. 36. q. 28. Omnia quæ vult Deus eadem & facit. Atqui non servat omnes homines, sed tantum suos fideles. Non vult igitur sine discrimine omnes homines salvos fieri. Imò tollit dilectionem hanc absoluta ad æternam damnationem destinatio, quam uno ore profiterentur Calviniani. Thes. orthod. fid. class. 1. loc. 7. th. 12. Cum arcana DEI voluntas semper fiat, & nulla ratione impediri possit, cum sit omnipotentissima: idcirco nullo modo dici potest, DEVM simpliciter & proprie voluisse, aut velle, omnes in universum homines salvos fieri. Hubert. Stur. Diatribe de præd. th. 18. Duplex necessitas reprobos insequitur, una peccandi, altera percundi: ad utraq; reprobi ab omni æternitate prædestinati. Rennech. cat. aur. c. 7. p. 37. Reprobationis nulla alia causa ex Scripturis proferri aut assignari potest, quam justa & immota DEI voluntas, quod ipse in æterno illo & arcano consilio aliquos homines æterno exitio & supplicio ex sese & propter sese adjudicaverit, idq; antequam ipsi erant, & aliquid mali fecerant. Peccatum enim reprobationis causa nequaquam potest esse. Quemadmodum verò causa electionis est summa dilectio, sic reprobatio, & quidem absoluta, causam nullam, nisi reprobantis voluntatem, agnoscens, est summum odium. Quoscunque igitur DEUS non nisi, quia sic ipsi visum, reprobavit, eos nunquam dilexit. Sed juxta Calvinianos maximam hominum partem DEUS reprobavit, ob causam nullam, nisi, quia ipsi sic visum: Ergò juxta Calvinianos, Deus maximam hominum partem

tem nunquam dilexit. Infertur hinc conclusio. Ergò pro repro-
bis Deus, ex Calvinistarum mente, filium neque VOLVIT satisfa-
cere, neque filius satisfacere intendit.

17. III. A particularitate vocationis. Quoscunq; Deus
voluit redemptos, eosdem etiam ad participandum bona promerita
& parta vocat, atque invitat. Cui enim paterfamilias epulas præpa-
ravit, eundem ad earum perceptionem invitat. Vicissim: quem is
non vocat, illi cœnam ex intentione, ac voluntate heri instructam
non fuisse, certissimo est argumento. Sed: Deus paucos ad perci-
piendum bona cœlestia vocat. Equidem; omnes homines certo
suo modo à Deo fuisse vocatos, docuerunt nostri satis sufficienter.
Calviniani verò non saltem vocatos negant, ad quos nulli specia-
tim missi sunt nuncij, ut operosè, ad nauseam & superstitionem,
usque probare conatur Ietzlerus de fructu mortis Domin. l. 2. verum et-
iam eos, qui ex preconum concione ac verbo fructum nullum per-
cipiunt, Deo, ut illi volunt, verbo virtutem, & vocationi efficaci-
am subtrahente. Zanch. lib. 3. de nat. Dei. cap. 3. quæst. 4. pag. 306. 307.
*Tametsi omnes homines ad veritatis cognitionem per Evangelium vocantur: ad
eam tamen non perveniunt, nisi electi: eoq; per Spiritum sanctum efficaciter
vocati. Quam dico, Omnes vocari: intelligo externâ vocatione: qua fit im-
primis publicâ Evangelij predicatione. Hac enim nemo excluditur à cog-
nitione veritatis, sed universi potius & singuli ad eam invitantur. Coeterum in-
ternâ, qua fit per Spiritum sanctum, & ideo efficaci, solos electos vocari, aio.*

18. IV. A particularitate effectus. Affirmant
Calviniani: Christum suæ mortis finem, ac scopum in omnibus pro-
quibus illam obiit, assequi: nec diversum citra blasphemiam, & ab-
surditatem posse statui. Piscator vol. 2. Disputat. cont. Schasim. quæst. 1. thes.
65. Hinc argumentamur: Quoscunq; Christus finem ac scopum
suæ mortis esse voluit, in ijs omnibus eundem etiam assequitur, h.
e. ij omnes æternùm salvantur. Sed non omnes, ac singuli homines
æternùm salvantur, sed aliqui saltè, & quidè hominũ pauciores. Ergò
aliquos, non omnes, Christus finè, ac scopũ suæ mortis esse voluit.

19. Ex qua sententiarum oppositione status controversiæ fit
clarissimus, nimirum iste: **An voluerit Deus Christum
sua passione, ac merito, pro omnibus homini-
bus, seu toto humano genere, satisfacere?** Item:

C

an Chri-

an Christus morte sua omnes indiscretè homines redimere intenderit? Utriusque affirmativam cum hætenus propugnarint Lutherani, impugnarint Calviniani, uti ostensum: utriusque nunc partis fundamenta examinare operæ pretium fuerit.

20. II. MEMBRUM. Ut verò quæstio ipsa in duo membra semet dirimit; sic assertionum nostrarum fundamenta duarum sint classium; quarum prior universalem Dei in mittendo filio voluntatem: posterior universalem Christi in patiendo intentionem probet.

21. Classis prior. Dei voluntas hæc fuit circa missionem filij æterna & *αὐτοκράτωρ*, ut filius suus unigenitus fieret victima, satisfactio, & redemptio pro omnium omninò hominum peccatis.

22. I. Quia causa missionis filij ad omnes homines, seu omne id, quicquid saltem humanæ naturæ est verè & per naturalem generationem particeps, æqualiter sese extendit. In quemcunque cadit causa missionis, seu fundamentum decreti de mittendo filio, propter eum filius à Deo fuit missus. Nam 1. ubi causa propria, & adæquata, illic & effectus. 2. Quæ propria est Deo causa, cur uni hominum filium mittat, illi, si extendatur ad omnes, eidem est causa, cur filium mittat & alteri, tertio, &c. adeoq; omnibus.

23. Sed dilectio est causa Deo propria, & adæquata, ob quam filium suum hominibus mittat, uti supra *thes. 14. ex Joh. 3. v. 16. Rom. 5. v. 8. Eph. 5. v. 25. 1. Joh. 3. v. 16. cap. 4. v. 9.* probatum, simulque Calvinistarum consensus monstratus fuit. Certum igitur: quemcunque Deus diligit, pro eius redemptione misit filium.

24. Verùm: Deus *omnes homines*; sive, quicquid sub ambitu, & complexu humani generis, ac nomine, seu titulo hominis (solo Christo semper excepto) continetur, *dilexit*. Agnoscimus sanè Deum homines aliquos odisse; sed 1. aut voluntate consequente, propter finalem, ac perseverantem præceptorū ac monitorum Do-

mini

mini neglectum; non antecedente, ex solo, & absoluto beneplacito. 2. aut in certis quibusdam casibus, certoque modo: qualiter Jacobum præ Esavo ad patriarchatum & jura primogenituræ destinans, illum dilexisse, & hæcenus Esavum odisse memoratur. *Mal. 1. v. 1. 2. Rom. 9. v. 13.* 3. aut propter impietatem præsentem, non finaliter. Ita Saulum Christianos persequentem utique odio habuit; sic interim dilectum, ut immarcessibilem justitiæ coronam à Domino reportaret. *2. Tim. 4. v. 8.* Inque hoc ab æterno esset electus.

25. Universalis autem ista dilectio constat ex eo: 1. quia Deus neminem odit. Odium dilectioni ἀμείσως opponitur in subjecto δεκτικῶ. Ut enim homo Deum aut odit, aut diligit, parentes item; magistratum, &c. neque vel affectus tertius inter hos medius dari, nec quisquam ab utroque dictorum simul potest esse vacuus; sic Deus, qui est caritas, *1. Joh. 4. v. 8.* hominem gratiæ, & misericordiæ illius indigum alterutro affectu, amoris vel odij, prosequitur; ut, quem non diligit, odio habeat: & quem odio non habet, eum diligit. Sed Deus neminem odit; non saltem generalissimè, odio, dilectioni creaturis omnibus communi, opposito; *Sap. 11. v. 25.* diligis omnia quæ sunt, & nihil abominaris eorum, quæ fecisti, neque enim odiens aliquid constituisti: sed minus etiam generaliter, odio, dilectioni in solos homines cadenti, opposito. *Ezech. 33. v. 11.* Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed, ut convertatur, & vivat. 2. Quia Deus sincero affectu omnium salutem desiderat. *Matth. 18. v. 14.* Non est voluntas coram patre meo, qui in coelis est, ut pereat unus ex parvis istis. *1. Tim. 2. v. 4.* Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. *2. Pet. 3. v. 9.* Deus patiens est erga nos, non volens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 3. Quia Deus dilexit MUNDVM, ut filium suum daret, *Joh. 3. v. 16.* Hinc argumentamur: Cuicumque Deus misit filium, ut is per eum salvetur; hunc serio affectu vult salvari. Sed toti mundo misit, sive, omnibus hominibus, Ergò &c.

26. Neque remorantur vim collectionis quicquam exceptiones Calvinistarum, sive generales, sive speciales. Illæ: ut quod afferunt, 1. dici omnes, at non omnes homines. Anonymus pag. 18. ait, tribus in locis scriptura Christum pro omnibus mortuum asserit (nusquam reperitur pro omnibus hominibus, sed pro omnibus.) Nam 1. ommissio substantivi argumentum est, subintelligi per notam universalis id, cui pro condi-

tione prædicati subjectum latè patentissimum sit adjiçendum; præsertim, quòd, ut vulgò dicitur, favores sint ampliandi. Hoc autem est *homo*, de quo prædicatur *Φιλανθρωπία* Dei, quique sive damnationis, sive salvationis est materia: de quo negotio dum agitur, particula universalis *hominem* sibi vult conjunctum. 2. aliquibus in locis additur subjectum, homines *Rom. 5. v. 8. 1. Tim. 2, v. 4.* Ex quibus iudicium debet fieri de alijs locis idem hoc subjectum retinentibus. 3. idem affirmant adversarij. Scribit enim *Anonymus*, inexplicabili contradictioni sese involvens pag. 34. *Hæc rei summa, quod, cum scripturâ profiteamur Christum pro omnibus hominibus esse mortuum.* Quomodo enim cum scriptura id profitetur, quod in eâ nusquam invenitur?

27. 2. *Intelligi genera Singularum, non singula generum; & subintelligi universalitatem Electorum.* *Beza* de prædest: cont: *Castell:* pag. 354. *Piscar.* vol. 2. disput. contra *Schaum* quæst. 1. *Thef.* 49, 60, 91. *Anon:* pag. 56. Adducuntur quidem nonnulla scripturæ loca, in quibus voculam *omnes* aliquando particulariter significare ostendatur. Sed, 1. nusquam probant, eam in locis prædictis designare duntaxat partem hominum; quod vel maximè erat necessarium. Etenim; extra dubium esse oportet; *OMNIS* per suam naturam, & sensum proprium significare Universaliter. Quando igitur eiusmodi monstratur locus, in quo per causas graves genuinâ significatione missâ, aliam à textu requisitam necessariò substituo; cætera loca idem non poscentia in particularitatis suspicionem non traho. Nisi ergò Adversarij doceant, vocem *OMNES* in locis productis particulariter accipiendam; argumentum nostrum aut non movent, aut fateri coguntur, Dei dilectionem, quâ *omnes electos* complecti asseritur, non minus particularitatis suspicionem incurrere: Imò quæcunque pronunciata Universalia hoc modo ac medio à quovis adversario enervari posse. 2. Non sunt argumenta hæc disjunctim consideranda, sed expendendum, scripturam non semel saltem universalis particulâ uti; neq; unâ tantum, sed pluribus. Modò enim ait, *omnes homines*, modò *mundus*, non solum nos, sed etiam totus *mundus &c.* Quarum particularum universalium coacervatio non potest non corda hominum convincere, quòd veram hominum universalitatem intelligere oporteat.

28. 3. *Intel-*

28. 3. *Intelligi collectionem gentium & Judeorum.* Beza resp. ad acta Colloq. Momp. pag. 222. in notis major. ad Rom. II. & I. Timoth. 2. Polan. Syntag. lib. 6. cap. 18. pag. 181. & 184. Bucan. loc. 36. quæst. 28. Dubium equidem non est, unicâ voce comprehendi Judæos & gentes: Sed i. nondum probatum est, *omnes homines* aliquando in Scriptura significare duorum populorum, gentilis & Judaici, talem collectionem, quâ non omnia, sed aliqua, & quidem paucissima duntaxat Individua comprehendantur. 2. Multò minus ostensum est, *id his in locis*, nunc nobis controversis fieri. Quamvis enim dici possit, textus ipso s monstrare, de Judæis & gentibus sermonem institui: Respondetur tamen, id quæstionis non esse; sed hoc: an necum non dicatur, omnes populi, sed vel, omnes homines, vel absolute omnes; gentes Judaica, & Ethnica ita intelligantur, ut paucissimis tantum illarum Individuis prædicatum subjunctum conveniat: ibi verò nos planè tenemus negativam, utque Calviniani, quod affirmant, evidenter demonstrent, seriò hortamur. 3. Notum est, non propriè convenire sermoni sive græco, sive cuiq; alij, ut duo sub unum prædicatum revocaturi universalitatis notam, *omnis* usurpemus, sed *διὰ τὴν ἑκείνην*, utraq; &c. Improrietatem ergò, quæ stante opinione Calvinianâ, hic se offert, rursus opus est, nobis evidenter probari, fidem aliàs nullam habituris.

29. 4. *Mundum notare non omnes homines, sed piorum è mundo collectorum cœtum.* Beza resp. ad acta Colloq. Momp. p. 212. Polan. Syntag. lib. 6. cap. 18. pag. 183. Zanch. Miscell. pag. 299. b. Eadem verò est hujus, quæ præcedentis exceptionis ratio. Nam i. certum est, cum de hominibus sermo instituitur, duos esse in Scriptura vocis *mundus*, significatus: unum, quo omnes homines, alterum, quo impij notantur. Et quidem illum usus grammaticus satis demonstrat: hunc autem propriè indicat prædicatum, juxta Canonem Logicum: *Talia sunt subjecta, quæ permittuntur à prædicatis.* Tertium solos electos comprehendentem his addere non possumus; nec enim Scriptura nobis exempla certa & indubia suppeditat. 2. Etsi interdum particulariter, & quidem solus piorum cœtus notaretur, attamen, quia vox *mundus* Synecdochicè usurpata primò est nota omnium hominum; in loca producta sensum particularem, nullâ ratione ab ullo textu requisitum, invehere possumus. Hoc igitur operis rursus Calvinianis damus.

30. Nunc speciales exceptiones videamus. Ad locum *Ezech. 33. v. 11.* respondet Perkins. *armill. aur. cap. 25.* tenendum est, Deum nolle eam (mortem) quatenus est interitus, & ruina creatura: velle tamen, dicendus est alio modo, nimirum, quatenus mors poena, & declaranda justitiae divinae medium est. Quae interpretatio, si distinctionem respicit voluntatis antecedentis, & consequentis; improbanda non est, suis quippe fundamentis nixa, neque intentioni nostrae adversa: sin ad solam antecedentem; jam à Scriptura dissentiens probatione vel maxime indiget. *Piscator* duo opponit. 1. Verba non sonare; si volo; sed, si delector. Potest autem DEUS aliquid velle, quo tamen non delectetur. 2. Non cuiusvis impij morte non delectari Dominum; sed ejus, qui convertitur. *contr. Schafm. thes. 57.*

31. Resp. 1. Quod citato loco *Piscator* ait: *mortem eternam in illo Ezechielis dicto intelligendam esse, id inter nos quidem extra controversiam est: acceptamus, contra eos, qui secus statuunt, & locum all. cen. de sola temporali agentem rejiciunt.* 2. Vox, quae Propheta utitur, est *וולל* quam indifferenter velle, & delectari Hebraeis non aliter, atque *velle* Latinis; significare, exempla quamplurima ostendunt: distinctio igitur, praeterquam, quod in praesente negotio non consistit, vel ideo vanitatis arguitur. 3. DEUM peccatoris saltem convertendi morte non delectari, nusquam affirmat Propheta: quem de quovis impio generaliter id pronunciare, ostendit *L. phralis per se clara.* 2. Prophetae scopus. Affirmat, *v. 8.* sibi injunctum, praedicare verbum Domini, etiam ijs, qui *concioni non attendentes in peccatis pereunt.* Mandati fundamentum monstrat: quia Deus non vult mortem impij. Ergo etiam non audientes Prophetam, DEUS non vult perire. 3. Ejusdem Prophetae propria Interpretatio. Eandem enim Domini sententiam *cap. 18. v. 32.* exponens, ait. *Vt quid moriemini, domus Israel; quia nolo mortem MORIENTIS:* promiscue usurpans voces *peccator, & moriens;* peccatoris nomine etiam non-revertentem, sed morientem intelligi significans.

32. *Matth. 18. v. 14.* Non est voluntas, &c. *Piscator, cont. Schafm. thes. 55.* sic interpretatur. *Nota bene EX PARVIS ISTIS, nempe, pueris in Ecclesia natis, & educatis.* Resp. 1. Considerat Salvator parvulos ratione aetatis simplicioris, occulta minus scrupulose investigantis; non habitam ratione originis, aut loci educationis. 2. Obtento; nolle

nolle DEUM quemquam parvulum in Ecclesia natum, & educatum perire; jam argumento gemino evincemus theſeos noſtræ veritatem. 1. DEUS nullum in Eccleſia natum, & educatum puerum vult perire. Multi autem in Eccleſiâ, nati, &c. pereunt. Ergo aliquos pereuntes DEUS non vult perire; Ergo quorundam pereuntium æternam ſalutem deſiderat. Porro: Si de uno pereuntium iſta Dei voluntas probata fuerit; de cœteris (nulla ſiquidem illorum differentia monſtrari poteſt) idem futurum erit iudicium. 2. DEUS nullum parvulum vult damnari, ſed omnes ſalvari. Atqui: omnes homines vel ſunt, vel fuerunt parvuli: Ergo omnes homines DEUS aut vult, aut voluit ſalvari. Verum; pro ætate hominum DEUM affectus ſuos mutare, impium eſt, & abſurdum: Ergo cenſendum eſt, deſiderare DEUM ſalutem omnium.

33. 1. *Timoth. 2. v. 4.* DEUS vult omnes, &c. varijs modis interpretantur Adverſarij. 1. *Per genera ſingularum*; q. d. Apoſtolus: DEUS vult ex omnibus hominum generibus aliquos ſalvos fieri. *Piſcat. cont. Schafm. theſ. 49. 91. Polan. lib. 6. Syntag. Theol. cap. 18. pag. 182. Perkins. armill. aur. cap. 52.* Cauſas autem hujus ſui diſceſſus à propria vocis *omnis* ſignificatione; non reddentes, teſtantur, interpretationem ſuam carere fundamento. 2. Genera; quidem (reges, & in eminentiâ conſtitutos) ſpeciatiim exprimit, in eo tamen non acquieſcit Apoſtolus, non ſaltem de generibus, ſed etiam de generum ſingulis verba faciens; ac præcipiens vota fieri, 1. pro omnibus hominibus: 2. pro regibus & OMNIBUS, QVI IN SVBLIMITATE ſunt. Hinc namque argumentamur. Pro quibus fundendæ ſunt preces, hos vult DEUS ſalvos fieri. Sed, pro *omnibus* in ſublimitate, ſeu dignitate Magiſtratus, conſtitutis (hoc eſt, ſingulis ejus generis Individuis) preces ſunt fundendæ. Ergo DEUS OMNES in ſublimitate conſiſtentes vult ſalvos; & conſequenter Neronem, Herodem, Pilatum, quique alij ſunt, magiſtratus impios. Porro: quæ unius ordinis hominum eſt ratio, eadem eſt & alterius: nulla enim, hoc quidem in caſu, pateſcit diverſitas. Atqui: unius generis, ſcilicet magiſtratus, ea eſt ratio, ut DEUS omnes in eo conſtitutos ſervari cupiat. Ergo & cœterorum generum ſingula Individua ſalvari deſiderat.

34. 2. Per-

34. 2. Perkins! lib. de prædest. & grat. Dei crim. 4. DEVM velle quidem, ait, omnes salvos fieri, sed non SEMPER voluisse; non omnes Adami posteros, sed propriè homines in ultima ætate mundi. Resp. Hoc affirmat Apostolus; illud non negat. Quæstio autem præcisè non est de universalitate hominum Vet. & Nov. Testamenti, quæ tractatur alibi: sed indefinitè de æterna voluntate DEI circa homines pios & impios, quocumq; etiam tempore viventes. Quare, pro scopo nostro satis (concedente etiam Perkinso) obtinuimus; nimirum, velle Deum aliquos, & quidem sub Novo Testamento viventes omnes, bonos pariter, ac malos, salvos esse: quandoquidem porrò hinc licet colligere: Quæ est ratio impij unius, quantum ad hanc Dei dilectionem; eadem est omnium, quando cumq; , & ubicumq; viventium &c.

35. 3. Deus vult omnes salvos fieri, eorum nimirum, qui salvantur; interprete, Perkinso l. d. Resp. Taceo, quòd ista in ventum dicta ex textu non petuntur, sed illi inferuntur; Interpretatio est Apostolico sensui minimè consona (nusquam enim omnes homines, omnes in sublimitate constituti, qui certè non salvantur omnes, idem significant; quod *ij, qui salvantur.*) scopo nil quicquã inserviens (foret nãq; hoc delirantis forsitan, nò sani hominis: volo, pro omnibus hominibus, speciatim pro magistratum gerentibus oretis; quia DEUS vult omnes salvos fieri; scil. eorum, qui salvantur. Sed quomodo hæc scopo sint accommodaturi, Calviniani sanè viderint) & stultam *ταυτολογίαν* importans. Quis enim nescit, neminem salvari, nisi quem servatum vult Deus?

36. 4. Loquitur Paulus secundum iudicium caritatis Christianorum, non secundum iudicium occultæ, & infallibilis certitudinis. Perkins. ibid. Resp. Paulum hæc loqui ex caritatis saltem iudicio, nullo indicio cognoscimus; ex occulto DEI decreto proferri, negamus; secundum revelatam Dei voluntatem pronunciarì, aperte videmus, Perkinsum glossam suam probare, non cernimus; hac igitur missâ, in claris Apostoli verbis, usque dum diversum ostenderit Adversarij; acquiescimus.

37. 2. Pet. 3. v. 9. Non vult DEUS, &c. Excipit Piscator cont. Schaf. thes. 51. & Perkins. armill. aur. cap. 52. Non omnes homines intelligi, sed credentes, quando ait ERGA NOS: siquidem de fidelibus vocatis, & sanctificatis sit sermo. Resp. I. Certum quidem est, loqui

loqui Petrum ad cœtum sanctorum: eum verò non omnibus suis partibus & membris sanctum; sed, qui intermixtos haberet homines impios, & Domini adventum minus attendentes; quod probatur dupliciter. i. à Dei patientiâ, qua non opus est ferre eos, qui fideles servi adventantem Dominum observanter expectant, sed somnolenti aliud agendo herum nil curant. Hinc argumentamur. De ijs loquitur Petrus, qui, cum ad Domini adventum se non parent, patientiâ tolerantur à Deo, quò dies iudicij illos incautos non obruat. Tales verò non sunt sanctificati, sed impij, *Rom. 2. v. 4. cap. 9. v. 22. 2. pet. 3. v. 15. 2.* à poenitentiae necessitate. De ijs sermo est, qui poenitentia indigent. Etsi verò omnes homines quotidianâ poenitentia op9 habeant; intelligitur tamen generalis quaedam conversio, & vitæ immutatio, qualis Pauli fuit, Manassis, & aliorum. Tales vero non sunt pij & sanctificati, sed impij; Ergò horum interitum averfatur Dominus, salutem contra, & conversionem expetens, & expectans. Concludimus sic probatâ minore, primum argumentum: Ergò Deus pro omnium hominum (sive quicquid sub ambitu & complexu humani generis, seu nomine ac titulo hominis continetur) redemptione filium suum misit.

38. **II** Quia Deus toti humano generi Salvatorem promisit. Cuicunq; Deus Salvatorem promisit, eidem quoq; illum reipsâ misit, adeoq; ex affectu paterno, ac misericorde mittere voluit. Ratio manifesta est: quia omnis Evangelica & in salutem hominum directa promissio non potest ex affectu generari hostili, adverso, aut perditionem meditante; nî, omni candore abjecto, hypocrisin detestandam fingere volueris; quod de Deo, non absque horribili blasphemiâ cogitari, multò minus enunciari posset. Quòd enim simulavit Deus maclationem, Isaaci &c: nihil blasphema eiusmodi cogitata juvat. Consistit enim cum bonitate & justitiâ, iræ, aliorumque malorum simulatio, cum animus intus meditetur amoris & benevolentiae opera: Cujus generis actiones Deo, præeunte Scripturâ, piè tribuimus. Cum eadem verò minimè omnium consistit simulatio boni, & occultatio mali; quâ in virum bonum nequaquam cadere, homines omnium imperitissimi, solo innato honesti ac turpis discrimine ducti, norunt. Sic ergò salva est atque integra propositio.

D

39. Sub

39. Sub qua subsumo: sed Deus Messiam salvatorem promisit omnibus omninò hominibus. Probo. *Gen. 3, v. 15. semen mulieris conteret caput serpentis.* Extenditur hæc promissio ad omnia humani generis Individua: quia, cum non ad solos protoplastos, sed illorum quoque posteritatem spectaret; nullum discrimen posterorum factum est, pro quorum aliquibus mulieris semen sit caput serpentis contriturum, pro aliquibus non item. Dum igitur Deus nullum facit discrimen; utique, quæ unius, eadem & alterius est ratio; unde sequitur: si Messias allegatis verbis uni hominum est promissus, certè iisdem etiam alteri, & tertio, & quarto &c: adeoq; omnibus: ut hac ratione nemo prorsus excludatur. Quamvis autè excipiat *Perkinsus lib. de prædest. modo. pag. 120.* promissionem de Christo esse generalem sed *respectu omnium & singulorum credentium*: quia tamen promissio facta est protoplastis, quatenus illi totius generis hominum stirps erant, neque promissio ad credentes præcisè restringitur, nusquam etiam impij excluduntur; rectè quidem Christus credentibus promissus asseritur; malè autem impijs, seu generaliter omnibus, promissus negatur.

40. *Gen. 12, v. 3. In te benedicentur omnes familiae terræ.* Benedictio hæc non est ex Abrahamæ personâ, (nam & ipse benedictionem accepit *Gal. 3, v. 7.*) sed pro sapiâ, hoc est, Christo, Interprete Paulo *Gal. 3, v. 8. prævidens scriptura, quòd ex fide justificet gentes Deus, antè Evangelizavit Abrahamæ, benedicentur in te omnes gentes.* Perinde igitur est, ac si diceret: In Christo benedicentur omnes familiae terræ. Non verò intelliguntur quidam ex generationibus pauci, 1. Quia voce indefinitâ, & promissionem exaggerante non paucissimos potuit, sed omnes intelligere oportuit. 2. Intelliguntur familiae vel collectivè, ut sunt integri populi; vel distributivè, ratione personarum in populis. Familiae autem distributivè consideratæ sunt quæcunq; illarum Individua. Unde illatio est prompta. Atqui: non, collectivè: non enim benedicuntur in Christo gentes aut familiae, ut sunt ex pluribus quid unum; sed distributivè, quatenus in familia quodvis Individuum singulariter, & distinctè consideratur. Ergò omnium nationum singulis Individuis Messias est promissus.

41. III. Quia Deus omnibus hominibus filium misit. Id probatur 1. *A priori.* Missio præsupponit intentionem mittentis: siquidem nullam hîc licet suspicari hypocrisin: neque dicendum;
Deum

Deum misisse Christum ociosum: sed neq; Judicem *Ioh. 3. v. 17.* ergò ut Salvatorem. Unde propositio ista petitur: cuicumq; Deus filium misit, illum per filium salvare intendit. Subsumtio prompta est: Omnibus hominibus misit filium. *Esa. 61. v. 1.* Dominus ad Evangelizandum mansuetis misit me, ad ligandum contritos corde, ad prædicandum captivis libertatem, & vincis apertionem. *Rom. 8. v. 32.* Deus proprio filio non percipit, sed illum pro omnibus tradidit. *Gal. 4. v. 4.* Deus misit filium, ut eos qui sub lege erant, redimeret. *1. Ioh. 4. v. 14.* Vidimus & testamur, quòd pater misit filium, ut esset servator mundi. *Ioh. 3. v. 17.* Deus misit filium in mundum ut salvetur mundus per ipsum. Hinc talis probatio minoris: quicumque fuit sub lege, quicumq; pauper, vincis, captivus, corde contritus, ac mundi ambitu comprehensus, illius redimendi causâ Deus misit filium. Sed omnes homines erant sub lege; quod alibi copiosè probatur; estq; mens Apostoli clara *Gal. 3. v. 22.* dicentis: *conclusit scriptura omnia sub peccato.* Omnes pauperes; quia ne uni quicquam spiritualium divitiarum superest. Et certè; si pij & sancti, nisi à Christo ditati, per se sunt pauperes; utiq; multò magis cœteri omnium sunt pauperrimi. Sed verum prius; *2. Cor. 8. v. 9.* *Scitis gratiam Domini nostri &c.* Omnes vincis & captivi *Luc. 11. v. 21.* omnes corde contriti, quippe, vero ac vivo solatio destituti, *1. Thes. 4. v. 13.* omnes sub mundi complexu contenti; ipsa vi vocis hoc arguente. Ergò omnes homines redimendi causa Deus filium suum misit.

42. 2. *A posteriore.* Cuicumque per nativitatem Christi illuxit gratia Dei salutifera, & gaudium ex nato Messiâ divinitus est paratum, illi Deus filium misit. Ratio: Inde enim lapsis Angelis missus non esse colligitur; quia per Christum natum ipsis nec gratia salutifera fuit orta, neque gaudium ullum divinitus paratum. Ergò, cui est missus, illi gratia &c. illuxit: & cui missus non est, illi neque illuxit gratia. Sed gratia Dei salutifera illuxit OMNIBUS HOMINIBUS, *Tit. 2. v. 11.* Illuminat Christus omnem hominem venientem in mundum, *Ioh. 1. v. 9.* non, illuminatione naturali, ut vult *Polan. Synt. lib. 6. cap. 18. pag. 180.* (ea namque ad præsens Christi officium non spectat) sed spirituali. *Joh. 19. v. 39.* *Eph. 5. v. 14.* & gaudium per Messiaë nativitatem contigit OMNI POPULO, (quâ voce generalior haberi non poterat) *Luc. 2. v. 10.* Ergò Messias omnibus hominibus est missus.

D

43. IV. Quia

43. IV. Quia Deus omnium hominum peccata Christo imposuit. Evidentissimum est, cuius peccata Deus Christo imposuit, pro illius etiam delictis ab eo satisfieri voluit. At; omnium hominum peccata Christo imposuit, absque sanctitatis, vel malitiæ, fidei, aut infidelitatis discrimine. Quod probatur 1. à typo *hirci emisit ij*, cui imponebantur peccata totius populi. *Levit. 16, v. 21. imponet Aaron ambas manus super caput hirci, & confitebitur super illud omnes iniquitates filiorum Israel, & omnes prævaricationes eorum, cum omnibus peccatis eorum; & ponet illa super caput hirci.* Hinc argumentamur: 1. Quia quicquid hic peregrisse dicitur sacerdos typicè in hircum, hoc verè peregrit pater in filium. Ea enim Veteris Testamenti acta peccata non expiarunt nisi typicè, *Ebre. 10, v. 4.* hoc est, non hirco, sed Christo imposta fuere peccata; sequitur: quicquid imposuit sacerdos hirco, id Pater cœlestis Christo. Atqui Sacerdos imponebat hirco *omnes iniquitates, omnes prævaricationes, omnia peccata*; eaque non hominum in Israele quorundam & pauciorum forsan, sed omnium: Ideò non dicit saltem collectivè *populi*, quamvis & illa vox universalis planè sufficeret; sed distributivè *filiorum Israel*. Ut verò omnis hinc includebatur, quicumque nomine filij Israel comprehenderetur, sive esset bonus, sive malus, electus vel reprobus; sic omnium hominum, sine electi & reprobi, boni & mali discretionem peccata Christo fuere imposita. 2. Cum gratia Novi Testamenti amplior potius, quàm strictior sit eâ, quæ contigit sub Veteri; certè peccatorum ablatio illic, atque hinc non minoris erit latitudinis: Effet autem; Si *hircus* omnia peccata *quorumvis* filiorum Israel abstulisset; *Christus* verò non omnium filiorum Israel, sed paucissimorum duntaxat sibi passus fuisset imponi.

44. *Esai. 53, v. 6. omnes nos sicut ovis erravimus, unusquisque ad viam suam declinavit, & Dominus coniecit in illum iniquitates omnium nostrum.* Excipit. *Polan: Syntag: lib. 6. cap. 18.* per *nostrum* intelligi *fideles*. RESP: Rectè: *fideles*, at nō soli, 1. quia non loquitur Propheta de hominibus quo ad sanctitatē, & pietatē consideratis sed quatenus sunt peccatores: In eo autē bonis & malis convenit, quod omnes onerantur peccatis; ut, quæ unus est conditio, ea sit & alterius. 2. quia nō reperitur apud Prophetam restrictio *fideles*; dū verò absolutè dicit *omnes*, intel-

intelligit utiq; subjectum latissimè patens, *hominem*. Ergò peccata omnium hominum Deus Christo imposuit. Ergò DEUS Pater pro omnium hominum delictis à Christo satisfieri voluit.

45. **V. Quia DEUS per filium sibi omnes homines reconciliat.** Et reconciliationem tentare, est animi benevoli, amantissimiq; infallibile indicium: Et omnis actus voluntarius voluntatem indubiè præsupponit. Quemcunque ergò DEUS sibi per filium reconciliat, eum etiam reconciliare intendit, & conciliationis causâ filium misit. Verùm DEUS omnes homines per filium sibi reconciliat, *Col. 1. v. 20. reconciliavit sibi omnia, pacificans per sanguinem crucis, tum quæ in terrâ sunt, tum quæ in cælis.* 2. Cor. 5. v. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata eorum.* Qui locus clarus est, neque ob frivolam Calvinianorum exceptiunculam (quasi *mundus* significet paucos Electos) abjiciendus. Si enim mundus vel maximè alicubi taliter significare concederetur; attamen dum & hîc particularem significatum habere dicunt quidem, sed non probant; neque locus ipse tale quid suadet, aut jubet, utique in significato suo primario & frequentissimo, quo mundus *universum humanum genus* complectitur, retinendus commendatur. Ergò DEUS omnes homines reconciliare intendit, ejusque causa omnibus filium misit.

46. **V. Quia Deus omnes ad accipiendū beneficia morte Christi invita & vocat.** Vocatio ad accipiendū beneficium, animum beneficū præsupponit; imò beneficij instructionē, & apparatus, ne ex parte vocantis quicquam desideretur. Aliàs; si res se haberet secus, aut beneficium prorsus instructum nō esset, aut si huic, quem inter alios vocat, non destinatū: utiq; vocans nec titulum viri politicè aut Ecclesiasticè boni retineret, illusor potiùs auditurus. Quod cum in Deum cadere nequeat; absit ab omni pio corde, de illo, qui veritas est, & mentiri nescit, talia vel cogitare. Ita verò Deus ipse reconciliationem cum vocatione connectit, ut & indivisim cohæreant, & una latitudinem alterius explicet, sic differente Paulo 2. Cor. 5. v. 18. & 19. *Omnia ex DEO, qui reconciliavit nos sibi per Iesum Christum, deditq; ministerium reconciliationis. DEVS enim erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata ipsorum, posuitq; in nobis sermonem reconciliationis.* Quod idem clarissimè reddunt

Parabolæ regis ad nuptias filij varios homines invitantis, *Matt. 22. v. 2. & seqq.* Hominis instruensis epulas pro indignis & maximè ingratiss, *Luc. 14. v. 16. & seqq.* Quem enim, obsecro, illic vocatum credemus, cui non ita sit paratum convivium, ut invitans ex parte suâ, quod adderet, non haberet, sincerâ mente. & αὐτὸν ἰσχυροῦς ho-
spites vocans?

47. Hinc dupliciter argumentamur, 1. Quemcunq; Deus ad beneficiorum per filium suum partorum perfruitionem vocat, ejus causâ filium misit, illumq; per filium seriâ intentione salvatum cupijt. At Deus omnes homines vocat; uti subsequens controv-
ersia plenius exponet. Ergò omnium hominum causâ filium misit, eosq; per illum salvatos seriâ intentione cupijt. 2. Si Christus non est destinatus Salvator omnium hominum, DEUS utiq; ad accipien-
dum salutem, tanquam à Christo illis partam, omnes omninò con-
vocans & impetratam sumere jubens, non saltem cum miseris mor-
talibus minus candidè agere, sed etiam falsa docere, utque homi-
nes ea credant, quæ secus se habent, severè præcipere affirmare-
tur. Quod statuere, detestandæ foret impietatis, ergò & illud.
Ergò omnium hominum causâ DEUS filium misit, omnesq; seriâ
voluntate per illum liberatos voluit. Ubi non moramur vel tantil-
lum distinctionem vocationis efficaciæ & inefficaciæ. Ut enim illa
ex parte Dei semper est efficax, per auditorum verò inobedientiam,
non autem culpam vocantis, sine & efficaciâ suâ (ut pluvia in lapi-
pes cadens) frustratur: Ita quatenus Deus vocat, distinctionem pla-
nè negamus, nullam simpliciter inefficacem agnoscentes. Sed
inferius plura.

48. VII. Quia Deus Christum cum suis beneficijs o-
mnibus baptizatis obsignat. Quibuscunq; DEUS Christum cum
omnibus beneficijs spondet, eos per Christum redemptos voluit.
Promitteret quippe beneficia nusquâ parta, simularet amorem, &
occultaret odium: quodq; diceret se agere, non ageret. Sed DEUS o-
mnibus baptizatis spondet Christum cum beneficijs. Ergò omnes
baptizatos per Christum voluit redētos. Minor probatur ex senten-
tia Christi. *Marc. 16. v. 16. Quicumq; crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.*
Et assertione Apostolicâ, *Gal. 3. v. 27. Quicumq; in Christo baptizati estis,*
Christum induistis. Neq; dissentit Perkinsus in *Cath. declar. 5. fund.* ubi sic
habet. Q. *Quid agitur in sacra Baptismo?* Resp. *In publico Ecclesie cœtu*
confirmatur atq; obsignatur foedus gratiæ inter Deum & personam baptiza-
tam.

tam. Q. Quid spondet autem Deus personæ baptizate in Baptismo? Resp. Christus cum omnibus ex eo fluentibus bonis.

49. VIII. Quia Deus poenam severam dicit hominibus, qui recusant credere Messiam sibi esse Salvatorem missum. Quicumq; non credit, damnabitur, ait Christus *Marc. 16. v. 16.* Et quidem vel hanc ipsam ob causam, quia non credit, *Joh. 16. v. 8. & seq. Cum venerit Spiritus sanctus, arguet mundum de peccato, de judicio, & de justitiâ. De peccato quidem, quod non credunt in me. Joh. 3. v. 18. qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei.* Peccatum non est, credere falsa, multò minùs quenquam Deus ideò condemnat, quia non vult credere ea, quæ sunt quàm falsissima. Si ergò V.C. pro rege Agrippâ Deus filium nō misit, neq; illum per hunc redimi voluit; malè utiq;, & injustè damnationi æternæ ipsum adjudicaret, ideò, quòd rem falsissimam credere noluit. Hinc argumentamur: Quemcumq; Deus ideò damnat, quia recusat credere, filium Dei pro sua salute missum, pro illo Deus & filium misit, & per illum redimi voluit. Sed omnes non credentes ideò damnat, quia filium Dei sibi missum non credunt, Ergò Deus pro omnibus non credentibus filium misit, & per illum eos redemptos voluit.

50. CLASSIS II. De Intentione Christi non est quod dicantur multa; facilè siquidem ex patris voluntate fertur judicium. Non poterat scilicet filius dissentire à Patre, voluntate divinâ cum eo unus, humanâ illi subjectus: quodcumq; igitur decrevit ille, hoc filius perficiendum statuit. Probatione igitur, dum de Patris voluntate constat, superfedemus: quò tamen res undiq; evadat clarior, ex abundantia testimonia intentionem Christi patientis declarantia subjungimus; affirmantes, Christum non saltem *λύτρον* deposuisse, quod pro toto hominum genere potuerit esse sufficiens; sed etiam hoc fine seipsum offerre voluisse, ut omnes homines, etiam impios, hac suâ satisfactione, deletis ipsorum peccatis, in sinum gratiæ restitueret.

51. I. Quia venit salvare, quod perierat. Assertio Christi clara est *Matth. 18. v. 11. Venit Filius hominis servare quod perierat.* Quæ lapsus & insecutæ damnationis cum restitutione Christi oppositio docet; quicquid è genere humano per lapsum perijt, hoc omne Christum restituisse, & salvare intendisse. Sub quâ Propositione subsumere licet: Sed omnes homines per lapsum perierunt, *Rom. 5. v. 12. Per*

unum:

verum hominem peccatum in mundum introijt, & per peccatum mors, & ita
in omnes homines mors transfijt, in quo omnes peccaverunt. Ergò Christus
intendit omnes homines in integrum restituere & salvare. De ni-
hilo autem est, quod ait Polanus Syntag. lib. 6. cap. 18. non esse con-
troversum, an Christus pro omnibus sit mortuus? id enim & se
confiteri: sed *an pro omnibus efficaciter?* hoc nãq; quod de sufficientiã
& efficientiã dicitur, sequentia declarabunt: Adducitur autem iste
locus, non tam pro comprobandã meriti latitudine, quàm Christi
intentione: pro cuius probandã universalitate confessionem Polani
(de omnibus hominibus loqui Apostolum) ambabus accipimus,
conclusionem hinc inferentes. Ergò Christus omnes ac singulos
homines salvare intendit.

52. II. Quia intendit salvare mundum. Quid notet
mundus, aliquoties jam dictũ, videlicet omnes homines; nisi sensum
aliud textus in quo usurpatur, requisierit. Usq; dum ergò tale quid
probetur, mundus nobis erit genus humanum. Licebit hinc argu-
mentari: Quicumque intendit salvare mundum, is per medium
salutiferum redimere constituit omnes homines. Sed Christus ve-
nit salvare mundum *Ioh. 6. v. 51. Panis quem ego dabo, est caro mea, quam
dabo pro mundi vitã. Ioh. 12. v. 47. Veni, ut salvificem mundum.* Ergò
Christus suã morte constituit redimere omnes homines.

53. III. Quia constituit salvare omnes. *Johan. 12. v. 32.
cum exaltatus fuero à terrã, omnes traham ad me ipsum.* Nec est, quod cum
Polano Syntag. lib. 6. cap. 18. pag. 181. universalitatem restringamus. 1.
ad Gentes & Judæos, 2. ad eos, quos pater trahit ad filium. Nam 1.
loquitur de mundo, 2. non dicit vos omnes, sed absolutè, omnes, quæ
universalitatis est nota, 3. non loquitur ad Gentes, sed ad populum v.
29. 4. neq; dicit, ex omnium vestrũ natione traham aliquos: sed tra-
ham omnes.

54. III. MEMBRUM. Restant expendendæ objectiones adverfa-
riorum: quarum I. ita formatur. Quoscunq; Deus vult perire,
hos per Christum redemptos noluit. Sed aliquos voluit
perire; Ergò aliquos per Christum redemptos noluit.
Minor probatur. *Ioh. 17. v. 12. Judas appellatur filius perditionis, hoc
est, à Deo ad perditionem destinatus. Act. 1. v. 25. dicitur abiisse in lo-
cum suum, h. e. à Deo ipsi destinatum. Jude. v. 4. quidam homines
jam olim descripti ad Judicium. Pisc. contra Schasm. Th. 51.*

55. Resp.

55. *Resp.* Distinguenda est voluntas Dei antecedens à consequente: quarum illa omnes in homine amoris vel odij causas antegressa vult, omnes sine discrimine æternùm salvari: hæc per fidem & incredulitatem discrimen hominum constituens eos solùm qui voluntatem beneficam acceptarunt, & vocationi cœlesti paruerunt, vult salvari: Cœteros qui consilium Dei spreverunt adversus seipsos, & vocanti fuerunt immorigeri, adeoque salutis causas repulerunt; ob hoc suum supercilium & incredulitatem, abjicit, nec in salvandorum numerum adscribit. Quemadmodum pius Magistratus vult omnibus subditis esse benè, eorumq; salutem Politicam quærit, ac promovet. Quia verò benevolentiam hanc aliqui non acceptant, sed contemptui habent, utique Magistratum ad puniendum irritant, ut ipse, quos modò salvos cupiebat, gladio feriat; ditione pellat &c.

56. Ad scopum hoc accommodantes dicimus; Si in præmissis intelligat Major, voluntatem antecedentem, veram illam esse, sed minorem falsam: Sicuti malè colligitur: Quoscunque rex voluit perditos, illis convivium nuptiale non instruxit, *Matt. 22. v. 2.* At quosdam Rex voluit perditos, *v. 7. & 8.* Ergò ijs nuptiale convivium non instruxit. Voluit namq; ipsos frui epulis, voluntate antecedentes perdi, consequente. Sin verò consequens intelligatur voluntas, minorem quidem concedimus (eâ namque voluntate Judas in locum suum abiit, perditioni destinatus: & quidam hominum ad damnationem sunt descripti: antecedente verò nequaquam) at majorem in universum negamus. Siquidem tale judicium nusquam nobis pandunt sacræ literæ, & sic novâ probatione indigebunt Adversarij.

57. 2. Si Deus vult omnibus mitti filium, ut omnes homines per ipsum salventur, utiq; Deus finem abs se inventum non assequeretur, quod absurdum, imò blasphemum. *Pisc. cont. Schafman. Thes. 65. Polan. Syntag. lib. 6. cap. 18. pag. 183. d. 187. d. 193. f. Bucan. loc. 36. Instit. quest. 28. Anon. pag. 47. 48. 60.*

58. *Resp.* I. generaliter notum est, quamvis artem, actionem, &c. suum habere finem internum, quem nunquam non assequitur, quotiescunque actio ipsa sibi constat: Habere insuper finem externum, qui quodammodo ab actione remotior non semper illam sequitur. Sic enim architectura finem intendit, extructionem ædifi-

E

cij;

cij; quo fine impetrato, quiescit; de subsequente inhabitatione nihil sollicita; quam si maximè non assequatur, in se tamen architectura nullam imperfectionem contrahit. Ita Deus mundum creans, hunc suum finem est assecutus, ut mundus perfectus consisteret: ut autem homo vitam perennem in eo duceret, in concreatâ justitiâ persisteret, conditorem celebraret; hunc finem, ceu remotiorem, & externum, DEUS intenderat quidem; assecutus tamen non fuit; quod sine ulla opificis cõtumeliâ aut blasphemâ ex Scripturis asserimus. Idem ergò & in præsentè negotio potest habere locum. Si enim Deus intendit mittere filium suum omnibus; certè finem intentum per ipsam missionem jam assecutus fuit. At; intentione Dei ulterius procedente, utq; hæc filij missio singulis evadat salutaris, volente; hanc non nisi particulariter assequitur. Cujus pronunciati & in Scripturis decantati; & quotidie ob oculos nobis versantis, si quæ est absurditas, ex Scripturis monstranda erat.

59. 2. Notandum; Deum in hoc negotio non agere voluntate absolutâ, sed homines ad certa media revocante, ita, ut DEUS quidem voluntate simplici causas omnes antegressâ velit, filium suum pro toto hominum genere satisfacere, & quantum in ipso, eorum salutem procurare: Beneficiorum autem taliter partorum omnes homines vult fieri participes; at non simpliciter, sed observato ordine divinitus monstrato *1. Tim. 2. v. 4. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

60. Hoc fine Deus interdum frustratur, non ex parte suâ; siquidem & benevolo decreto, & misso filio, & viâ monstratâ, & feriâ vocatione facit, quicquid in se est: non igitur per ipsum fit (quod foret impium) ut finis intentus emanet; sed ex parte hominum, ordinem contemnentium, negligentium, excedentium. Atq; tali modo fieri, ut Deus finem non consequatur, citra impietatem dicitur; quod hinc patet. Vult Deus, decalogum ab omnibus observari, ut ne in levissimo opere delinquatur; *Deut. 27. v. 27.* ideò enim legem tulit, sine per se intento: benedictionem simul & vitam pollicetur his, qui mandatis obsecuti fuerint. *Lev. 18. v. 5. custodite leges meas, atq; judicia, quæ faciens homo, vivet in eis;* non studio ludificandi homines, sed obedientiâ postulante. Eo tamen frustratur, non particulariter saltem in impijs, sed in quibuscunq; hominibus. *Non est enim:*

enim homo justus in terra; qui faciat bonum, & non peccet. Eccl. 7. v. 21. hinc negat Apostolus, datam esse legem, quæ possit vivificare. Gal. 3. v. 21. Neq; tamen id affirmans, in Deum est impius, multo minus blasphemus. Expandit Deus manus, ut homines colligat, qui perversis viis incedere malunt. Es. 65. v. 2. vocat, ut monita ejus sequantur, qui illū non audiunt, Proverb. 1. v. 24. Matth. 20. v. 16. Actor. 17. v. 27. vocat, ut defendat ac tueatur, renuentes Matth. 23. v. 37. Serit agrum, ut colligat triticum, & nascuntur zizania Matth. 13. v. 15. & seqq. Plantat vineam, exspectans uvas, & nascuntur labruscæ Es. 5. v. 4. Parat coenam magnam, ut invitatis beneficiat, & contemnitur. Luc. 14. v. 18. Instruit nuptiales epulas, ut hospites lautè excipiat, qui tamen comparere negligunt Matth. 22. v. 5. & seqq. Atq; sic multis modis intentionem suam Deus assequi rectè negatur; quia defectus est ex parte, non ipsius, sed hominum.

61. 3. Pisc. tract. de grat. Dei contra Hemming. pag. 1. & seqq. octo argumentis divinæ voluntatis circa salutem hominum particularitatem probare conatur: quæ in unum fasciculum collecta ita procedunt, Si Deus vult omnes homines salvos fieri, sequitur 1. Eum ab æterno decrevisse singulos servare. 2. Prædestinavisse, ut omnes inagni filij sui fiant conformes. 3. Singulos ad vitam æternam elegisse. 4. Fecisse ac præparasse singulos ad gloriam, 5. Christum singulos morte suâ redemisse. 6. Mysterium redemptionis singulis patefecisse. 7. Singulos efficaciter vocare, ut eos fide in Christū donet. 8. Singulos justificare seu peccata illis remittere: Quæ omnia cū sint falsa; falsa esse concludit quæcunque antecedentia.

62. Resp. generaliter notandum, Piscatorem 1. Hæc pronunciare nullâ distinctione adhibitâ, unde nos quidem absolutam voluntatem, dum aliū mentio non fit, intellectam credimus; id quod probè notari cupimus, ne Adversarij pro more suo, querelas postmodum prolixas instituant, nosque traducant, quasi præter fas & æquum opiniones alienas, & nunquam sibi probatas, ipsis affingamus, & hinc coram Ecclesia prostituere laboremus. 2. Sophi-

nam in eo agere, quod, cum in omnibus syllogismis consequentia majoris laboret, eamque abs nobis negari, Piscator probe norit; nullam tamen omnium probare conetur; sed, quasi nulla probatio ipsum destituat, minorem operose probat. Ad singula vero ut respondeamus distincte, opus non est; una quippe solutio plura tollit. Nam *primum, secundum, tertium, quartum*, errant confusione voluntatis Dei *antecedentis*, quam is non saltem omnia, quae qualitercunque in homine reperiri possunt, virtutes, bona opera, ut & fidem ac incredulitatem: verum etiam ipsum Christi meritum, antegressus, omnes quotquot in Adamo sunt lapsi, restitutos cupit, ea vero voluntate nihil prorsus decerni, sed qualiter gratiam copiose oblatam homines sint vel per fidem animo grato accepturi, vel per negligentiam, & contemptum abjecturi, adeoque aut gratiae ulterioris participes, aut condemnationis de novo reos se sint effecturi, expectat: Et *consequentis*, per quam omnes sibi generaliter dilectos judicat, quales in Deum benefactorem se modis dictis exhibuerint, oblatam gratiam vel acceptando vel respuendo: atque hinc decretum facit, quo unicuique reddatur pro merito, sive bonum sive malum. Quam distinctionem Parabolae nuptiarum regiarum, & coenae magnae, praeter alia, satis sufficienter probant. *Matt. 22. v. 2, Luc. 14. v. 16. & seqq.* In illis namque convivas invitaturi nullum plane decretum, quinam infallibiliter, certoque eventu festivitatis instructis sint adfuturi, qui secus, faciunt; sed postquam id, quod erat in ipsis, plene & abundanter praestitissent, sententiam tamdiu differunt, donec & invitationis contemptum, & ejusdem acceptationem percipissent: ibi n. jam voluntati consequenti locus est, per quam epularum fruitio obedientibus decernitur, contemptoribus denegatur.

63. Hoc igitur posito; asserimus, Deum velle voluntate antecedente salutem omnium, consequente paucorum saltem, nimirum electorum; & consequentiam sic infringimus. Si maxime Deus antecedenter vult, salvari omnes, non proinde consequenter eorundem omnium salutem *decernit*; omnes imagini filii sui conformes fieri praedestinat, ad vitam aeternam eligit, ad gloriam praeparat: quaeque hujus generis alia non sine *ταυτολογίας*, & petiti principij vitio Piscator syllogismos multiplicaturus accumulat. Ratio: hujus enim & illius voluntatis latitudo est prorsus inaequalis.

Ut

Ut enim non omnes, quotquot ad nuptias regias, & coenae magnam instructor comparere voluit (*πρὸνυμφεύων*) etiam coenam gustarunt, aut regis dapibus sunt fructi: sed audierunt (*ἰσομέτρως*) talia decreta; *nemo virorum illorum qui vocati fuerunt, gustabit coenam meam: nuptiae quidem paratae sunt, sed qui vocati erant, non erant digni*: Imò; rex missis exercitibus, eos perdidit, & urbem eorum incendit. Ita quos Deus, antecedente vult salvos, consequente decreto perditioni destinat; unde manifestè patet, à voluntate Dei, ad decretum & electionem procedere fas non esse.

64. Ad 5. Utique hoc agimus, ut Christum suam morte omnes redemisse, evincamus, & stabiliamus necessitatem consequentiae. Ad eadem est ratio huius quae praecedentis. Namq; Dū ideo probamus omnes velle salvos, ideò filium misisse omnibus, quia omnes homines vocat. Quod igitur pro falso, & absurdo habet Piscator; nos caelestem veritatem esse, docemus. Ad 7. Deus omnes, singulosque ex parte sua efficaciter vocat, ut verò efficax quoq; sit, vel inefficax ex parte hominum vocatorum, non praecisè facit voluntas Dei (quae non est absoluta, sed ordinata) verum repugnantia, vel non-repugnantia vocatorum, qui beneficia oblata vel accipiunt, vel respuunt. A voluntate igitur Dei ordinatam ad actualem fidei (quam Deus per certa media largitur) perceptionem consequentia non valet. Ad 8. Idem de hoc sentiendum; quoscunque Deus vult salvari, eos etiam vult justificare, iisque peccata remittere, *non tamen extra praefixum ordinem*. Quantum igitur in Deo; porrigit ille omnibus fidei media, adeoque fidem ipsam: Cujus tamen multi ideò non sint participes, quia ordinem divinum excedunt, nec fidei medijs legitimè utuntur. Ergò non sequitur: quoscunque Deus vult salvos fieri, eos actualiter fide donat, justificat, illisque peccata remittit.

CAPUT IV.

CONTROVERSIA SECUNDA

*An filius Dei patiendo & moriendo efficacissimo
autem pro omnibus ac singulis hominibus justitiae
divinae plene satisfecerit?*

1. Visâ & probatâ voluntate ac intentione Dei, meriti Christi, per & in se, absque omni applicationis respectu considerati, latitudinem porrò etiam videbimus. Utque mentem nostram exponamus clarius: ante omnia distinguendum iudicamus inter meriti Christi *sufficiantiam* & *efficientiam*: Affirmantes Christum, quantum in ipso, & ab ipso pro ullius hominis redemptione præstandum erat, pro omnibus ac singulis hominibus, peccata expiando, divinæ justitiæ satisfaciendo, adeoq; homines ipsos redimendo, æqualiter præstitisse: homines verò per incredulitatē facere, ut dum bona sibi parta fide non applicant, efficienter ad illos redemptionis beneficium non extendatur.

2. *Sufficiantiam* verò æstimandam, non ex solo valore meriti, qui, ut qualitate, sic & quantitate, seu hominum numero est infinitus; nec ab eo etiam millies majore superari potest: sed etiam ex *intentione*, & *voluntate patientis*; qui infinitum mortis suæ precium destinavit *λύτρον* pro singulorum hominum redemptione. Sic namq; per Christi intentionem meritum fit meritum; per valoris infinitudinem fit plenum & sufficiens. Per illā habet *sufficiantiam* potentialem; per hanc actualem.

3. Utque hæc *sufficiantia* sibi plenè, planeq; constet; duo addimus: Unum: meritum, quatenus à Christo acquisitum, sic esse respectu omnium, ac singulorum hominum absolutum, ut ex parte redemptoris illi nihil omninò, quocunque etiam nomine veniat, desit; neque *in genere meriti* quicquam superaddi possit. Alterum: debere *sufficiantiam æstimari ex applicatione*; qua ratione asserimus, meritum Salvatoris nostri non esse sufficiens *in se*, nisi accedat eiusdem applicatio. Quæ vox, ne cuiquam scrupulum pariat, explicanda. Duplicem verò circa hanc controversiam observare oportet meriti applicationem: quarum *una* fit per *fidem*, de qua capite sequente; altera per *intentionem Dei & Christi*. Etsi enim pro mille mundis passio Christi sufficiat; quia verò divina voluntas istis mille mundis passionem ita non applicat, ut eos per illam actu voluerit redemptos; ideò *sufficiantia* illa hætenus est frustranea; neq; huic officio conveniens. Dum autem sufficienter pro singulis hominibus mortuum affirmamus; simul opus est, statuatur; ipsum, voluisse satis factionem suā esse *λύτρον*, atq; illam Patri suo ita, *eo fine*, & *conditione* deposuisse, ut non saltem pro Abrahami, Davidis Pauli, sed

li, sed Neronis etiam, Saulis, Judæ &c. peccatis justitiæ ejus ex asse
satisfieret, eamq; illum ceu λύτρον pro ipsis numeratum acceptasse.

Non aliter; atque si Carolus mille Vngaricos Turcico tyran-
no deponeret; nudâ hac exsolutione λύτρον pro ullo captivo nu-
merasse dici non posset; quantumvis aurum depositum aliquibus
redimendis omninò possit fieri sufficiens λύτρον. Sin verò addat Ca-
rolus; En hanc æris summam ideò tibi numero, ut pro illis è vincu-
lis mihi dimittas liberos, Henricum, Clementem, Erhardum &c.
jam redemptor aurum depositum vincis istis hoc ipso applicuisse,
& (quod prius non erat) in λύτρον convertisse, dicendus erit. Per
quam applicationem jam demû cœpit *sufficiens fieri pro* vincitorum
liberatione; cum prius non magis tale quid de eo cogitari, aut pro-
nunciari posset, quàm de mille ungaricis subtus terram defossis, aut
ab Euclione, ne in Turcarum manus venirent, attentè custoditis.

4. *Efficientiam* ergò æstimandam putamus ex parte, tum Chri-
sti promerētis, tum hominis per fidem sibi meritum applicantis.
Redemptio modo *priore* est efficax, & Christus efficaciter mortuus
pro omnibus, quatenus modo supra dicto mortē suā patri *non aliter*
quàm sub ratione universalis λύτρον omnium ac singulorum hominum of-
fert, & quantum in se omnibus applicat. *Posteriore* est efficax, quan-
do homo fide, ex verbo Dei audito conceptâ, pro se in singulari
Christum mortuum, firmâ fiduciâ credit, credendo alienum meri-
tum *suum* facit, adeoq; sibi applicat: qualem applicationem his
verbis exprimit Apostolus: *Christus dilexit me, & tradidit semetipsum*
pro me, Gal. 2. v. 20. Prior fit per voluntatem, ac intentionem morien-
tis Christi: posterior per fidem.

5. *Priorem* illam sufficientiæ non opponimus, aut ab eâ contra
distinguiamus (siquidem τὸ εἶναι λύτρον sufficientiam istam essentia-
liter ingreditur, utque illud sit λύτρον, eam applicationem adesse,
necessarium est) sed sufficientiæ includimus. *Posteriorem* verò alte-
rum distinctionis membrum facimus, definientes efficientiam per
realem fructus perceptionem,

6. Calviniani distinctionē eandē frequenter usurpant, affirman-
tes, Christum pro omnibus hominibus mortuū esse sufficienter, at
non efficienter. Videantur Zanchius Misc. p. 332. Kimedont. lib. 1. de redept:
c. 11. p. 63, 68. Pareus part. 2. Catech. Vrsin. p. 304. & seqq. Irenic. c. 24, p. 142. Scri-
ptum Badense seu Staffortense, p. 380. 382. Bucanus instit: loco 36, quæst. 28. Po-
lanus Syntag. lib. 6, c. 18. p. 177, b. 193, c. h. 194, c. Perkinsus de prædest: p. 121. Ano-
nymus cap. 5. pag. 29, 43.

Quæ

Quæ sententiæ declaratio; quoniam à mente Lutheranoꝝ,
a liena non videtur, siquidem & ij distinctionem hanc frequē-
ter usurpant, & Jacobus Andreæ in *Colloq. Mompelg. pag. 546.* eandem
pro assertione suâ exponenda adhibitam Bezæ opposuit: lubentes
superfederemus contentionibus, nî nobiscum se loqui simulantes
sub phrasi commodâ grande monstrum alerent.

7. Rem quippe omnem multis de causis *suspectam* reddunt, &
quia uno ore omnes Jacobum Andreæ ita distinguentem impugnant. Vnde
certissima est hæc collectio: Quicumque docentes Christum pro o-
mnibus mortuum sufficienter, pro aliquibus efficienter, hostiliter
impugnat, & eo ipso hæreseos & impiæ doctrinæ reos agit; is tali-
ter docentibus non consentit, & quamvis distinctionem eandem
adhibeat; alio tamen sensu illam usurpat. Sed Calviniani hoc fa-
ciunt: *Beza Colloq. Mompelg. pag. 217. & seqq.* multipliciter distinctio-
nem rejicit, ut postea videbimus. *Anonymus pag. 96. & 143.* planè re-
pudiat sententiam Jacobi Andreæ: qui tamen *Colloq. Mompelg. pag.*
546. ita loquitur. *Evangelista Johannes hanc Epistolam (Canonicam) non ad Judæos tantum, sed pariter quoque ad gentiles, hoc est, ad omnes disci-
pulos Christi doctrinam Evangelij amplectentes scripsit, quos simul omnes in-
telligit vocabulo NOSTRIS, nomine autem TOTIVS MVNDI, omnes
homines nemine excluso: quod certissimum est, & apud omnes verè pios & sin-
ceros doctores indubitatum. Hinc illud vulgare dictum: Christus mortuus est
pro omnium hominum peccatis sufficienter, sed non efficienter: quia plurimi
hoc beneficium contemnunt: Ideò eis nihil prodest. Non quòd Christus noluerit
omnibus prodesse, sed quòd maxima pars hominum cum ex Judæis tum ex gen-
tibus id nihil curet &c.* Ergò Calviniani Lutheranis per distinctionem
sufficientiæ & efficientiæ meritum Christi explicantibus non con-
sentiunt, & sensum prorsus alium distinctiōi eidem ab ipsis usur-
patæ affingunt.

8. 2. *Quia eorum aliqui hanc controversiam tractantes distinctionem
planè reticent, quidam magno conatu impugnant, aut impugnantibus ad stipu-
la tur.* Hinc argumentamur: Quicumq; cōtroversiã de merito Chri-
sti tractans distinctionē sufficientiæ & efficientiæ prorsus reticet, sed
vel impugnat, vel impugnātē tacitè, aut expressè collaudat; is sensu
genuino & Lutheranis hætenus usitato, eandē nō approbat. Hoc fa-
ciūt Calviniani. Reticent *Piscator & Keckermannus*: quorū ille volumine
suarum thesiū, & quoties alibi hanc cōtroversiã tangit, & tractat, di-
stinctio-

inctionem nunquam attingit. Hic lib. 3. System. Theol. cap. 4.
expiationem peccatorum definit satisfactionem pro peccatis **ELE-**
CTORUM. Impugnat hostiliter admodum Beza respons. alie-
ra ad Colloq. Mompelg. pag. 218. scribens: Quorsum iste (Jaco-
bus Andrea) mutata, ut Sophista solent, quaestione, istam **SUFFI-**
CIENTIÆ & EFFICIENTIÆ distinctionem videri potest
induxisse, nisi ut illa sua portenta hoc obducto fuce operiret? Pag. 217.
illud, Christus mortuus est pro omnium hominum peccatis sufficienter,
sed non efficienter, et si recto sensu verum est, dure tamen admodum &
ambiguum, non minus quam barbarum dicitur. Ibidem: distinctio autem
illa, quam iste tandem protulit inter **SUFFICIENTER & EF-**
FICIENTER, mera est tergiversatio, nec adversarium meum in
isto commento subleva ut. Pag. 221. Distinctionem illam inter **SUFFI-**
CIENTER & EFFICIENTER, quam sane recte intellectam
non nego, duris & ambiguis verbis conceptam esse, nec ad quaestionem
qua inter nos agitata est, quicquam pertinere proximè præcedente re-
sponsione ostendi. Impugnanti adstipulantur Calviniani etiam
hodierni; qui Bezam hoc in Themate collaudant, nec nomine
totius sui coetus verba facienti contradixerunt unquam, nec et-
iam nunc contradicunt. Videatur Anon. pag. 103.

Fucum ergo quem diximus, eum occultant; quod suffi-
cientiam, intelligunt infinitum pondus meriti, interea, volun-
tatem Dei planè, ac in universum sejungunt, ita quidem, ut,
si Deus voluisset, meritum Christi pro pluibus etiam mundis
sufficiens esse potuisset: quod quia Deus noluerit, non jam esse
satisfactionem à Christo pro omnibus præstitam. Ita se expli-
cat Beza part. 2. respons. pag. 217. negandum non est, tantum esse hanc
oblationem, ut potuerit etiam pro infinitis mundis satisfacere, si plu-
res essent mundi, & mundani omnes fide in Christum donarentur, ne-
dum pro singulis unius mundi, nullo excepto, hominibus, **SIDUS**
EORUM OMNIVM VELLE MISERERI. Bucanus instit. loc. 36. quaest. 23. an non Christus mortuus est pro omni-
bus? Respons. Sufficiens pro omnibus, ajunt Schola, sed efficaciter
tantum pro electis fidelibus. Si vim sanguinis Christi respicias, ad re-
demptionem omnium sufficit: Si verò propositum consiliumq; Dei æter-
num, voluntatemq; Mediatoris intuearis, pro solis electis mortuus est
F Gryllus.

Grynæus part. 3. Theor. Theol. pag. 32. illud extra conventionis ale-
 am est, in se consideratum, $\chi\pi\tau\iota\lambda\upsilon\tau\epsilon\omicron\nu$ Christi sufficere (si quidem ita
 ferret Dei, cui nemo nostrum à consilijs est, voluntas) ad salutem
 omnium in genere hominum. Imò etiam eorum spirituum, qui origi-
 nem suam dereliquerunt. Item. Pro ijs mortuus est Christus,
 quorum gratiâ Deus pater proprio filio non pepercit, sed pro illis omni-
 bus eum tradidit, cum quo omnia ijsdem gratificatur, quos pater justi-
 ficat, & pro quibus Christus postulat, & qui nunquam separabuntur
 à Charitate Dei. Hæc omnia solis fidelibus, seu electis verè tribuuntur
 Rom. 8. 31. & seqq. Anonymus pag. 29. Christus morte suâ to-
 tãq; obedientiâ sacrificium ita dives patri obtulit, quod satis est di-
 gnum, sanctum & validum ipso factò non saltem ad aliquos, sed omnes
 homines, quantumvis etiam millies plures sive in hoc, sive alio mundo,
 cum ipso reconciliandum, justificandum &c. Omnium verò claris-
 simè Perkinsus lib. de Prædest. & grat. pag. 12. precij soluti virtus
 & efficacia tum quo ad meritum, tum quo ad operationem, infinita est, &
 tamen distingui debet. Est enim vel Potentialis, vel Actualis. Effi-
 cacia potentialis est, quâ $\lambda\upsilon\tau\epsilon\omicron\nu$ in se sufficiat pro redimendis singu-
 lorum absq; exceptione peccatis, etiam si essent mille mundi hominum.
 Verùm; si spectemus efficaciam illam actualem, $\lambda\upsilon\tau\epsilon\omicron\nu$ illud quoad
 consilium Dei, & quoad Eventum, pro Electis tantum, ac prædestina-
 tus est solum: Idem sentit Polanus Syntag. lib. 6. cap. 18. pag. 177,
 193, 194. Faciunt ergò Calviniani meritum Christi, quatenus
 pro omnibus hominibus præstitum, saltem potentiale, & remotè
 sufficiens, ut si Deo fuisset visum, singulis hominum potuisset
 fieri salutare.

10. Non ergò præter rem fucum in distinctione latere dixi-
 mus; quia, cum nobiscum loquantur, errorem gravissimum
 tegat; sufficientiam nimirum remotissimam, & saltem poten-
 tialem. Quod inde probo 1. quia talis sufficientia locum habet,
 ubi nullum etiam est meritum, nulla satisfactio. Quod rursus pro-
 bo, 1. Omne meritum, omnisq; satisfactio importat satisfacien-
 tis intentionem, & quantum in ipso, applicationem. Quemad-
 modum enim opes Germanorum sufficient redemptio multo-
 rum millium, qui in Turcica captivitate detinentur: dum verò
 illi huc opes suas non destinant, imò recusant dare; eo ipso fit, ut
 negatâ applicatione opum ad redemptionem captivorum, jam
 etiam ipsa negetur redemptio; opes non sint $\lambda\upsilon\tau\epsilon\omicron\nu$, nulla præ-
 stetur

Actur satisfactio. Vir dives ita ære abundat, ut possit numeratione auri non solum rei unius, sed insuper quàmplurimum delicta expiare. Dum verò is nullà in reos misericordiã movetur; nec obulum pro ipsis exponere statuit; etiamne illius aurum expiatio dicenda erit? nihil certè minus. Ita: pone meritum Christi, modo à Calvinianis explicato pro toto hominum genere sufficiens, quia verò Deus noluit Christum hoc sine subire mortem, ut ea maximæ hominum multitudini fiat salutaris, neq; Christus ideo est mortuus, ut λύτρον aliquod pro Caino, Judâ, alijsq; reprobis exolveret; evidenter sequitur; Christum pro omnibus hominibus (sensu Calviniano) sufficienter mortuum, nullam tamen pro illis præstitisse satisfactionem, expiationem, nullum λύτρον, aut meritum: quod est meritum non-meritum, λύτρον non-λύτρον facere &c: 2. Christus ita sufficienter est pro genere hominum, & in eo pro reprobis mortuus, quemadmodum & pro mille mundis extra hunc constitutis; item; pro pluribus illis hominibus, qui in mundum nunquam venerunt, nec unquam venient, nec non pro spiritibus, qui originem suam dereliquerunt. At; pro mille vel centies mille mundis, &c. Christus nullo prorsus modo est passus; quod Christianis quibusvis oportet esse indubium: Ergò & pro reprobis, seu toto hominum genere Christus nullo prorsus modo est passus; & sic meritum sic non-meritum.

II. 12. Quia Deus hac ratione ex parte suâ aliquid ad hominum salutem necessarium desiderari pateretur. Fides salutifera Christi meritum tanquam suum objectum præsupponit; non, ratione istius potentialis, & remotæ (qualiter sufficit pro mundo quodam utopico) sufficientiæ, sed actualis (qualiter sufficit pro redemptione credentium) Nisi enim hoc: nullum est meritum, nulla satisfactio, quod ostendimus. Ut verò sufficientia sit actualis, non est, nisi divinæ voluntatis; nec homo ex suâ parte illam præstare potest. Quicquid ergò hætenus desideraretur, ejus defectus omnis indecernentem Deum, & Christum non promerentem devolvendus esset. Absurdum hoc: absurdum ergò; sufficientiam hanc esse non nisi potentialem, & remotam.

12. 3. Quia phrasæ equipollentes non ferunt Calvinianum vocis (sufficienter) significatum. Dum enim dicitur:

Christus pro omnibus mortuus sufficienter, quærimus: quomodo Adversarij has scripturæ phrasés sint reddituri? Christus se dedit redemptionem pro omnibus: vulneratus est propter iniquitates nostras; servivit in peccatis nostris; omnium peccata Deus in ipsum coniecit, tollit peccata mundi. Quæ omnes, & si plures aliæ, cum distinctione sufficientiæ &c: sensu Calviniano accepta consistere nullo modo possunt; sed istud, potentiale meritum prorsus excludunt. Argumentamur: quæcunque distinctio tollit phrasés scripturæ de Christi merito agentes, neque cum ipsis consistere, aut eas declarare potest; ea est à veritates literarum aliena. Talis est distinctio ista secundum mentem adversariorum accepta. Ergò, quatenus à Calvinianis adhibetur; est à veritate S. literarum aliena.

Breviter: Calviniani dicunt: Christum Patri cœlesti hostiam obtulisse adeò sufficientem, ut si ipse voluisset, sufficiens *λύτρον* pro peccatis omnium ac singulorum hominum esse potuisset: quia verò noluit, jam Christum non pro omnibus re & facto, aut, quantum ex suâ parte, efficaciter mortuum; nec aliter satisfecisse pro impijs, quàm pro mille alijs mundis. Nos e contra affirmamus: Christum non saltem tanti valoris hostiam obtulisse, quæ infinito suo valore plures etiam mundos Deo placare posset; verùm etiam pro omnibus efficacissimè (quantum est ex suâ parte) esse mortuum: Et mortem suam actualiter voluisse esse *λύτρον* non saltem electorum; sed quorumvis hominum, bonorum pariter & malorum.

Status igitur Controversiæ nobis hoc in capite emergit. iste; *An Christus P R O omnibus singulisq; hominibus verè, ac realiter (non ut pro mille mundis utopicis, aut lapsis angelis) patri cœlesti satisfecerit; & (quantum ipsum meritum in se attinet) equaliter redemerit pios ac impios?* Negativam Calvinianorum vidimus.

II. MEMBRUM. Affirmativam, quæ nostra, his argumentis probatam damus.

I. Quia scriptura Christum pro omnibus mortuum esse, clarè affirmat. Sunt scripturæ phrasés maximè

ximè perspicuæ: omnia in Christo sunt restaurata, *Eph. i. v. 10. proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terris sunt. Omnia reconciliata, Col. i. v. 20. placuit per Christum reconciliare omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt. Pro omnibus Christus mortuus est, 2. Cor. 5. v. 15. Si unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant &c. Ebr. 2. v. 9, Pro omnibus gustavit mortem.* Nullâ hîc argumentatione, nullo discursu opus; nostræ quippe Theseos ipsa hæc sunt verba.

Excipiunt Calviniani: per omnes intelligendos esse 1. non omnes homines. Anon: pag. 18. tribus in locis affirmat scriptura, Christum pro omnibus mortuum; nusquam invenitur, pro omnibus hominibus. 2. Judæos & gentes, Polanus Syntag. lib. 6. cap. 18. pag. 181. c. Piscator in 2. Cor. 5. v. 14. 3. Credentes, Piscat. contra Schaffm. Thes. 65. 4. Conventum Ecclesiæ in cælis conscriptæ Polan. loc. d. pag. 188. 5. Omnes ad salutem electos, Polan. pag. 181. d. Kimed. de redempt. lib. 1. cap. 12. pag. 78. 6. Multos, Paræus in Heb. 2. v. 9. pag. 115. d.

Resp. 1. Turpè est, in re adeò momentosâ sic fluctuare & inconstantiam prodere. 2. Turpius: talia sine probatione efari, quando verba textus reclamant, neq; rationem invenire licet, quæ genuini ac nativi sensus vocum mutationem svadeat; 3. Turpillimum Spiritui S. in faciem contradicere. Est quippe expressa ἀντιλογία: omnis, quæ est vox Spiritus S. & non omnis, quam Calvinistarum expositiones unanimiter tenent. 4. Quavis autem omninò concedam, Christum locis allegatis pro credentibus & electis mortuum affirmari; attamen cum cæterorum exclusionem idem admittere non possumus: quia & phrasis perspicua obstat, & nusquam prædicatum istud subjecti loco solos electos statuit. 5. Sufficit vero, claram literam stare ex nostrâ parte; à quâ cur discedant adversarij, causas exponant.

6. Ex abundanti verò, si causas reddere lubet universalis sensus locorum allegatorum (quamvis id minimè teneamur) observanda sunt, 1. Universalis nota repetitio. 2. Cor. 5. v. 14. bis affirmatur, pro omnibus mortuum esse Christum: ut verò re-

petitio est fortis affirmatio; sic, quia repetitionis causa in solâ particulâ *Universali* hæret; Apostolus universalitatem mortis Christi quàm fortissimè voluit assertam. 2. *Vocis omnia per genus neutrum expressio.* Quando nota *Universalis* ad certum subiectum non accommodatur, sed ipsa sit subiectum; indicat latitudinem omnium amplissimam. Non a ious ergò, quando *Ephes. 1. Col. 1.* omnium reconciliatio; predicatur, un *versalis omnia* in neutro posita, neq; subiecto adjuncta, sed in subiectum mutata, universalitatem significat omnium latissimam: Quæ non potest esse electus, ob suam angustiam *Matth. 7. v. 14.* Ergò restat subintelligi *hominem.* 3. *Generalissima omnium comprehensio per creaturarum extremitates, cælum & terram,* vel, summa creaturarum genera, cælestia & terrestria, *Eph. 1. v. 10. Col. 1. v. 20.* Cælum & terra universalitatem omnium latissimam infert: non ergò tantum electos complectitur, quia foret stricta particularitas, ergò omnes homines.

19. In specie singula producta loca *Theſſin* confirmant. *Col. 1.* intelligi conventum eorum, qui conscripti sunt in cælis, ait *Polanus pag. 188.* quod tamen nusquam scriptum invenitur, neque ex textu potest elici. Quæ enim producit *argumenta*, 1. Pax est tantum credentium: fides autem non est omnium. 2. Solum credentes reconciliantur Deo: nullius sunt ponderis. Prius namque loquitur de pace, quâ homines fruuntur actu: eaq; est non solum credentium; Paulus verò describit pacem non re & facto usurpatam, sed tantum à Christo impetratam; eam scilicet, quam Apostoli inter homines sancire laborabant, ideoq; actua-lem absurdè dixeris. *Posterius;* locum *2. Cor. 5.* de solis credentibus intelligit idem *Polanus pag. 181.* quia soli credentes cum Christo mortui: soli credentes non sibi vivunt, &c. Quod Paulus statuit finem passionis Dominicæ, hoc adversarius restrictionem redimendorum facit. Idem pro omnibus mortuus est Christus, ut jam illi OMNES non sibi vivant &c. Unde arguemur. Si redemptionis per mortem factæ finis non ad solos electos spectat; verum ad omnes homines; utique omnes sunt redempti. At; finis, qui est, non sibi vivere, sed Christo; extenditur ad omnes homines, non solos electos; quia Deus impios etiam

iam

iam vult Christo vivere: Ergo omnes sunt redempti. Porro; fo-
los credentes cum Christo esse mortuos negamus, & adversari-
os hortamur, ut cogitent, qualiter ipsi ausint affirmare, Christum
pro omnibus mortuum esse sufficienter, si omnes cum Christo
mortuos negarint. *Ebr. 10. v. 9. ex v. 10. idem interpretatur,*
inquiens: pro illis omnibus mortem Christus gustavit, quos fili-
os Dei in gloriam mox adducendos vocat &c. At; illos o-
mnes taliter in textu descriptos nusquam legimus; licet asserat
Paulus, Christum pro omnibus mortuum, ut etiam partem illo-
rum omnium (filios in gloriam adducendos) salute bearet: Cæ-
teros sub voce *omnis* comprehensos à passionis merito minime
excludens.

20. II. Quia Adamo & Christo, quoad perditionem
& restitutionem sibi oppositis æqualis competit objecti
latitudo. Hinc argumentamur. Quicumq; sic opponuntur,
ut, quod unus perdidit, hoc alter restituerit; illi ratione hujus
actionis habent objectum æquè latè patens. Ratio: opposita o-
perantur circa idem: qui verò sic opponuntur, ut partem ejus,
quod hic perdidit, restituerit alter; de his æqualitas actionum
evinciari nequit. Sed Adam & Christus ita opponuntur *Matth.*
18. v. 11. Venit filius hominis salvare quod perierat. Rom. 5. v. 15 & seqq.
Sicut unius delicto multi mortui sunt; multò magis gratia Dei in plu-
res abundavit. v. 12. sicut per unum hominem peccatum in mundum in-
travit, & per peccatum mors &c. v. 18. Sicut per unius delictum in o-
mnès homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes
homines in justificationem vitæ. v. 19. Sicut per inobedientiam unius
hominis peccatores constituti sunt multi: Ita per unius obedientiam
justi constituentur multi. 1. Cor. 15. v. 22. Sicut in Adamo omnes mori-
untur; ita in Christo omnes vivificantur. Ergo Adamo, & Christo
est actionis objectum æquè latè patens.

21. Adversarij hinc aqua hæret. Piscator ad omnia loca glòs-
sam inanissimam, id est, *electi per Synecdochen integri &c.* sine ra-
tione ingeminat: quod idem facit *Beza. resp. 2. pag. 216. Ad lo-*
cum Rom. 5. v. 12 &c. Polan. Synt. lib. 6. cap. 18. pag. 289. Uterq;
aliquid SUI meruit. Adam ex se natis peccatum & mor-
tem: Christus in se credentibus justitiam & vitam. Ad 1.
Corinth. 15. Piscator commentatur. Si quis prius membrum
(in A)

U. 11. Rom. 5. 1
v. 19. 10
27

(in Adam omnes moriuntur) *malit intelligere generaliter de omnibus ex Adamo ortis; Posterius similiter intelligendum erit, de omnibus in Christo renatis, non autem simpliciter de omnibus.*

4. *Resp.* frustra hæc dicuntur. 1. quia in omnibus his locis ostendi nequit, Adamum & Christum confecti, quemq; ratione suæ profæpiæ, & non respectu communis alicujus objecti; quod utique demonstrandum erat, 2. quia emergeret phrasis inanissima & secum ipsa pugnans: quicumque in Adamo perierunt, ij in Christo sunt restituti (intellige verò horum *paucos aliquos* spiritualiter ex Christo natos) Qui enim sunt ex Christo nati, non sunt illi *omnes* ex Adamo facti: & qui ex Adamo nascuntur, non omnes ex Christo generantur, 3. quia stante phrasi Calvinianâ, non salvasset filius hominis *quod perierat*, sed aliquod saltem & quidem *partem illius minimam*: Id quod oppositionem omninò tollit. 4. Quia posterioris prædicati novum subjectum non ponitur, sed priori substratum repetitur. 5. Omninò certum est: Vbicunq; per Oppositionem, vel particulam adversativam unico subjecto prædicatum diversum attribuitur; illic, quæ est unius propositionis latitudo; eadem creditur esse & alterius.

5. Vt pote: sicut per Adamum *omnes homines* à DEO defecerunt: sic *omnes* in regnum Satanæ devenerunt. Hanc sic resolvo: Omnes homines à Deo per lapsum defecerunt: & : Omnes homines in regnum Satanæ devenerunt. Nimirum non aliunde, & ceu foris aliud subjectum quæritur, sed propter enunciationum connexionem, utriusque prædicati subjectum, debere esse absolutè idem, facilè intelligitur. Quemadmodum & in hac: quotquot ex Jobo sunt nati; tot per ædium everisionem sunt occisi. *Job. i. v. 19.* Duæ sunt propositiones, Una; decem homines ex Jobo sunt nati; altera: decem homines ruinâ ædium sunt oppressi. Subjectum enim posterioris (ob necessariam connexionem) simpliciter ex prioris petitur. Sic dicente Christo: *venit filius hominis salvare quod perierat*: duas elicio enunciationes: 1. Omnes homines perierunt. 2. Filius Dei omnes homines salvavit. Et Paulo affirmante: sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem (mors regnavit) sic per unius

unius Justitiam in omnes homines in justificationem vitæ (abundavit gratia) Duo itidem emergunt pronunciata. 1. Per unius delictum mors regnavit in omnes, 2. Per unius justitiam gratia abundavit in omnes.

24. III. Quia scriptura peccatum expiatum, opera Diaboli dissoluta, caput Serpentis contritum, mortem enectam, & Chirographum nobis adversum, deletum affirmat. Hinc argumentamur. Quicquid sublatum est, contritum & enectum; id nullâ sui parte superesse censendum est. At peccatum est per Christum sublatum. *Dan. 9, v. 24. Hebdomada septuaginta desinitæ sunt super populum tuam, & super civitatem tuam sanctam, & finiuntur peccata, & expiabitur injustitia, & reducetur justitia æterna.* Joh. 1, v. 29. *Ecce agnus DEI, qui tollit peccata mundi.* Zach. 3, v. 9. *Auferam iniquitatem terræ in die unâ.* Rom. 4, v. 23. *Traditus est propter delicta nostra,* 1. Joh. 3, 8. *In hoc apparuit filius DEI, ut dissolvat opera Diaboli.* Mors enecta, *Ose; 13, v. 14. A potestate inferorum redimam eos, à morte redimam eos.* Caput serpentis contritum. *Gen. 3, v. 15. Semen mulieris &c.* Luc. 11, v. 22. *Superveniens fortior, vicit armatum. Univerfa arma ejus aufert, & spolia distribuit.* Col. 2, v. 15. *exspoliavit principatus, & potestates traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.* Ebr. 2. v. 14. *Per mortem destruxit eum, qui mortis habebat imperium.* Ergò hæc omnia sublata, nec amplius superesse, censendum est.

7. Quòd si dicant Adversarij: respectu Electorum hæc ita dicta; nõ verò omnium hominum: 1. Ante omnia tenentur interpretationem probare, in textibus nusquam se offerentem, 2. Peccatum sublatum dicitur: non in solis electis, sed omnibus hominibus; siquidẽ non in illis tantum habebat locum, sed per totam humanam naturam diffusum erat. Serpens, cujus contritum est caput, omnes homines vulnerarat, non solos electos. Morti omnes obnoxij: Chirographo omnes ad debitum, aut poenam devincti. Nisi igitur omnes hi à malis nunc dictis eximantur, pronunciata scripturæ locum non invenient. 3. Et certè particularitatem istam, si Spiritus sanctus voluisset intellectam, utique notasset; cuius tamen in omnibus locis ne vestigium apparet.

25. Excipiant verò: non esse locutiones universales; sed indefinitas, quæ particularibus æquipolleant. RESP: I. In scripturis indefi-

indefinitæ per sæpe æquivalent universalibus, 2. Non esse has particulares; sed universales, ex oppositis patet. PECCATUM, *Job. 15. v. 15. & 16. cœli non sunt mundi in oculis eius: quanto magis homo bibens sicut aquam iniquitatem. I. Cor. 2. v. 14. animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus DEI. Rom. 3. v. 23. omnes peccaverunt & egent gloriâ DEI. Eadem est ratio operum Diaboli mortis, accusationis legalis, ac debiti. Omnes hæ phrasæ, & quæ plures aliæ, cum indefinitè sint positæ, universaliter significant; quare & illarum oppositas itidem universaliter accipiendas suadent. Adde, quòd peccatum, quando in singulari absolutè positum, non speciatim certum quoddam singulare peccatum, aut delicti speciem designat, collectivè totum peccati ambitum replet: non aliter atque vox hominis *Gen. 6. v. 7. cap. 9. v. 6. Job. 4. v. 17. cap. 5. v. 7. cap. 14. v. 10. &c.* Sic ergò universali æquipollet.*

26. IV. Quia scriptura sub meritum Christi revocat etiam impios, & pereuntes; sive non electos. Hinc argumentamur. Si Christus pro reprobis pariter, ac electis est mortuus, utique pro omnibus hominibus. Cujus propositionis necessitas inde probatur: quia duo sunt hominum Theologicè consideratorum genera; electorum, & reproborum; inter quæ nullum est medium. Et quidem, prius illud redemptum esse, inter nos est indubium: quòd si ergò posterioris redemptionem probaverimus, sponte sequetur Thematis veritas: nimirum, mortuum esse, Christum pro omnibus & singulis hominibus. Subsumimus: at Christus pro reprobis pariter, & electis est mortuus: quod probatur *Rom. 14, v. 15. noli cibo tuo illum (fratrem) perdere, pro quo Christus est mortuus. I. Cor. 8, v. 11. peribit in tuâ scientiâ frater infirmus, propter quem Christus mortuus est. 2. Pet. 1. v. 9. obliviscitur (impius) purgationis veterum suorum delictorum. Cap. 2, v. 1. erunt magistri mendaces, qui introducēt sectas perditionis, & eū qui emit eos dominum negant, superinducentes sibi celerem perditionē. Cap. 2, v. 20. & 21. si fugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius n. erat illis, non agnoscere viam Justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Hebr. 10. v. 29. deteriora meretur supplicia, qui filium DEI conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est. Ergò pro omnibus est mortuus.*

27. Quid

27. Quid excipiant Calviniani, vix invenio. *Piscat. comment.*
ad 1. Cor. 8. *peribit, per te quidem, seu quantum per te stat.* Ad 2. Pet. 2.
Id (mercatus est eos) referendum est partim ad fidem ipsorum tempora-
riam, partim ad ipsorum professionem, partim deniq; ad iudicium charitatis
in fratribus. Item: intelligendum est quod hic dicitur non κατ' ἀλήθειαν,
sed κατὰ δόξαν; quia p̄ ex Charitate opinati fuerunt, illos esse verè fide-
les, &c. Ad Hebr. 10. *ad vocationem referendum est, qua illi sanctifica-*
tio per sanguinem Christi fuerat oblata. Polanus: *Judicium Charitatis,*
juxta quod hæc loca sint accipienda, identidem ingeminat: no-
lens intellectam perditionem actualem sed eius saltem occasio-
nem *Syntag: pag. 187.*

28. RESP: 1. Extra litem est; allegata loca de damnatione
æternâ debere intelligi: 2. Quo loco fundamenti posito, proban-
dum manet, 1. redemptionem notari veram, & (ex parte Chri-
sti) realem. Id verò constat. 1. Ex ipso verborum sono, & si-
gnificatione vocum nativâ; ita clarâ, ut verbis magis perspicuis
hanc nostram mentem exponere vix potuerint. Remittimus ergò
quemvis ad textus notatos; utque, qualiter illi nobiscum loquan-
tur, & Adversarijs contradicant, probè attendat rogamus. 2. Quia
scriptura phrasas suas (sanctificantur homines per sanguinem
testamenti: Christus pro infirmis est mortuus: delicta sunt
expurgata: Dominus emit homines) nunquam usurpat κατὰ
δόξαν, nunquam ad Charitatis Judicium accommodat; sed
semper κατ' ἀλήθειαν, & de rei veritate vult intellectas. 3. quia
novum dicendi genus scripturis & linguæ ipsi planè incogni-
tum in negotio redemptionis humanæ confingere, nulla pro-
fus sive generalis, sive ex textibus petita ratio postulat. Quod
dum fit; fiunt adversariorum interpretationes nudæ glossæ
textui illatæ, eique vim apertam facientes, non ex illo petitæ.
4. Quia si scriptura Calviniano sensu phrasibus istis uteretur; ni-
hilominus, in his etiâ locis eundem obtinere, nondum fuisset proba-
tū. Etenim: posito: Christus pro reprobis est mortuus; intelligendū
κατὰ δόξαν: quid obstat, quò minus similia pronunciata, ad electos
accommodata, κατ' ἀλήθειαν accipiēda negē; κατὰ δόξαν affirmē?
Nihil certe nisi hoc: quòd Phrasis per se actū realē notans, cū si-
gnificatū utiq; obtinere creditur, quia textus diversum non suadet.

Quod igitur ejusmodi glossatori responsuri essent adversarij; hoc velimus sibimet responsum habeant. 2. Probandum, intelligi perditionem, non saltem ex parte offendentis, & quò ad occasionem, ad interitum ducentem: Sed etiam de reali perditione, & ex parte offensi æstimatam. Verùm producimus verba textus, quæ non dicunt occasionem aut causam perditionis, sed perditionem ipsam. Ad textum adversarios revocamus, & ostendere jubemus, ubi extet quam prætendunt glossa? Interim textus pro nobis loquitur, præter quem nihil indigemus probationis.

29. V. Quia omnes ac singuli homines ad beneficij perceptionem divinitùs vocantur. Hinc argumentamur: Quicumque ad participationem beneficij seriò vocatur; ei beneficium istud ex vocantis voluntate, intentione ac opere (quantum in ipso) paratum: nec restat aliud quicquam, nisi ut vocatus illud ipsum acceptet. At: vocat Deus omnes homines ad meriti Christi participationem, & fructuum Mortis perceptionem, *Actor. 12, v. 30. nunc annuunciat DEVS hominibus, ut omnes ubiq₃ pœnitentiam agant. Col. 1. v. 28. annunciamus Christum: corripientes omnem hominem & docentes omnem hominem in omni sapientiâ, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu. Vocat omnes oneratos, Matth. 11, v. 27. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Omnes gentes. Matth. 25, v. 19. euntes docete omnes gentes. Luc. 24, v. 47. oportet Christum prædicari in omnes gentes. Omnes creaturas (scilicet quarum naturam induerat, & causâ venerat, quæque prædicationis erant capaces) Marci. 16, v. 16. prædicate Evangelium omni creature. In specie vocat impios, Matth. 22, v. 3. & 6. Luc. 14, v. 17. & seqq. qui & ipsi sibi gravius judicium accersunt. Luc. 12, v. 47. 2. Pet. 2, v. 20. Uti post videbimus. Consentit *Anonymus pag. 43. pro omnibus in genere (mortuus est Christus) secundum dignitatem ac perfectionem ipsius sacrificij, & universalem vocationem Evangelij ad sacrificij hujus per fidem fruitionem.**

30. Distinguunt Calviniani vocationem efficacem ab inefficaci, asserentes, omnes quidem vocari, sed plerosque inefficaciter; paucos saltem efficaciter. *Zanch. de nat. Dei libr. 3. cap. 3. quæst. 4. cum dico omnes vocari, intelligo externâ*

externâ vocatione, quæ sit inprimis publicâ Evangelij prædicatione. Hac nemo excluditur à cognitione veritatis, sed universi potiùs, & singuli ad eam invitantur. Coeterùm internâ, quæ sit per Spiritum S. & ideò efficaci, solos electos vocari ajo. Bucan. loco 36. instit. quæst. 24. nec Deus universaliter vocat omnes externè per prædicationem Evangelij, cùm multis nunquam innotuerit, nedum internè, per vocationem efficacem. Et quamvis generaliter omnes compellat vox Evangelij; rarum tamen est singulare fidei donum, eò; quod non omnibus patefiat brachium Domini. Perkins. lib. de prædest. & grat. pag. 141. Deus non est dicendus hominibus illudere, si per verbum prædicatum vocat extrinsecus eos, quos velit salvos fieri: hoc enim modo suæ gratiæ divitias illis ostendit, & eos propriâ culpâ perire docet, quòd salutem oblatam nolunt recipere.

31. *Resp. autem 1. Extra dubium esse; quosdam saltem vocationem acceptare; adeoq; illorum respectu vocationem dicendam efficacem. 2. Coeterùm; quando vocationem dicimus universalem, abstrahimus quæstionem istam, ceu posteriorem; quis illi consentiat? aliud namq; est quærere; quis vocetur? aliud; quis vocationi obtemperet? prius illud ex vocante; posteriùs ex vocato æstimamus. Et; quantum ad vocationem ex parte Dei considerata; est illa 1. Seria & universalis, quatenus DEUS vult omnes homines vocationi parère. Ex parte DEI efficax, ita, ut quemadmodum pluvia in lapidem incidens, æquè per se est efficax, atque in agrum fœcundissimum stillans; sic & vocatio Neronem atque Timotheum vocans æqualiter à DEO efficaciam ac fœcunditatem habeat. Ut verò pluvia in lapide effectum nullum assequitur propter subjecti repugnantiam, & fertilis actionis pluvix excussionem; similiter vocatio per repugnantiam & negatam acceptionem actionis, quâ vocans corda movet, effectum non assequitur, ut ut aliàs in se sit efficacissima. 3. In hunc unicum finem directa, ut homines vocati Deo adducantur ejusq; gratiâ, salventur.*

32. *Id verò hinc constat; quia Scriptura istum finem prædicationis Evangelicæ inter omnes homines expressè statuit: & quidè 1. disertè 2. parabolicè. Disertè; locis suprâ allegatis Luc. 24. v. 47. oportet prædicari in nomine ejus poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Marc. 16. v. 15. prædicate Evangelium omni creature. Col. 1. v. 28. annunciamus, corripièntes omnem hominem &c. Hinc argumentamur: Cuicumq;*

prædicatur Evangelium pacis, perque hoc poenitentia, & remissio peccatorum; eo fine, ut exhibeatur ille in Christo perfectus; is ad perfruitionem beneficiorum Christi, tanquam finem proprium, & sermō à Deo intentum vocatur. Sed ita vocantur omnes gentes, omnes homines, omnes creaturæ: Ergo omnes gentes, homines, & creaturæ (quarum naturam assumpsit Christus, & quæ sunt disciplinæ ac vocationis capaces) ad perfruitionem beneficiorum Christi, tanquam finem proprium, & sermō à Deo intentum vocantur.

33. *Parabolicè, Matth. 22. v. 4. Ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Luc. 14, v. 16. 17. Fecit homo quidam cœnam magnam, & vocavit multos, & misit servum horâ cœnæ, dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia.* Hinc argumentamur: quicumq; i. ideò venire jubetur, quia jam parata sunt omnia, altilia mactata, &c. 2. Vocatur ad convivium nuptiale, aut cœnam instructissimam; is ad bonorum illic paratorum participationem vocatur. Ratio consequentiæ est manifesta; quia si adscisceretur quis ad hauriendum venenum, aut quia insidiæ ipsi sunt paratæ (uti fecerat Absolon fratri 2. Sam. 13. v. 24. & 28.) is non ideò, quia mactata sunt altilia &c. vocaretur, aut per sceleratam, & execrandam hypocrisin his verbis deciperetur. Similiter, quid sit vocari ad nuptias, neminem latet; videlicet, cum novis sponsis gratulandum lætari, esu & potu sese exhilarare, adeoq; ijs frui, quæ ad festivitatem istiusmodi in honorem & lætitiâ hospitum apparari solent. Ad nuptias igitur (nisi eadem detestanda exitij occultatio lateat) qui invitatur, ei lætitiâ est destinata. Cùm verò, quod in convivij & nuptijs epulæ; hoc in regno Christi sint ejus beneficia: utique omnis ad nuptias, aut cœnam invitatus, non nisi ad beneficiorum perceptionem vocatur: Et quia taliter invitantur omnes homines, de omnibus idem concluditur.

34. Istud efficaciam discrimen petunt Adversarij à Deo vocante. *Calv. lib. 3. Inst. cap. 24. p. 342. Hic se exeret immensa Dei bonitas, sed non omnibus in salutem: quia reprobis manet gravius iudicium, quod testimonium amoris Dei repudient. Atq; etiam Deus illustrandæ gloriæ suæ causâ spiritus sui efficaciam, ab illis subducit. Malè. Nam i. certum est, in nullo hominis esse potestate, ut vocationi obtemperet: sed, quem-*
admo-

admodum pisces capiuntur hamo & feræ laqueo, sic homines verbi prædicatione. *Jer. 16. v. 16. Matth. 4. v. 20.* præter suam intentionem atque opinionem capiuntur, corda moventur & persuadentur. Est igitur in potestate hominis Spiritui sancto ipsū allicienti reluctari; at, corde moto illum sequi; id opus divinum est, *Jer. 31. v. 8. Job. 6. v. 44. Phil. 2. v. 13. Ezech. 36. v. 26. Actor. 16. v. 14. Job. 6. v. 29. Eph. 1. v. 17.* nequaquam verò humanum, *1. Cor. 12. v. 3. 2. Cor. 3. v. 5. Jerem. 10. v. 23.* nisi ergò vocatio ipsa divinam virtutem in se contineat. *Rom. 1. 16. 1. Cor. 1. v. 24. 2. Cor. 4. v. 7.* homo nunquam per illam ad DEUM perducipotest. Hoc verò à DEI promissionibus, & omnium conversionem desiderante voluntate est quàm alienissimum; nec enim DEUS vel tantillum vult in se desiderari: *Esa. 5. v. 4.* at; virtute hac deficiente, utiq; aliquid in Deo desideraretur, *Psal. 68. v. 34. 2.* Quia id ostendunt Metaphoræ, quibus hæc vocatio describitur. Est quippe *semen*: *Luc. 8, v. 11. 1. Pet. 1. v. 23.* *Ignis*, *Jerem. 5. v. 14. cap. 23. v. 29.* *gladius*, *Esa. 49. v. 2. Apoc. 19. v. 15. nix & pluvia*, *Deut. 32. v. 2. Hebr. 6. v. 7. Esa. 55. v. 10.* Cœterum quodcunque semen vi *πλασικῆ* destituitur, ignis facultate urendi, gladius secandi, nix & pluvia fœcundandi; hoc neque semen est, neque ignis, nec gladius, nix aut pluvia. Ergò si verbum DEI his omnibus rectè confertur, uti rectè confertur; certè, virtute intrinsecâ pollet; quam (ubi objecto applicata fuerit) effectus certissimè sequitur, modò conditio subjecti illam non impediatur. 3. Quia DEUS homines vocando dicitur *extendere manus*. *Proverb. 1. v. 24. Esa. 65. v. 2.* Est manus extensio non saltem sinceri affectus signum, sed etiam attractionis inchoatio, quantum scilicet est ex parte attrahentis. Unde argumentamur: Quicumque non modò vocat, sed etiam ad vocatum manus expandit, ex parte illius culpa non est, si vocatus non apprehendatur. Atqui: DEUS sic vocat homines (& quidem eos, qui venire renuunt, vocanti non attendunt, consilium DEI spernunt, Dominum irasci faciunt, idolatriæ sunt dediti, ideoq; iram divinam provocant, ac semetipsos æternæ contumeliæ exponunt; hoc est, uno verbo, reprobos.) Ergo, quòd illi, reprobi, DEO non adducuntur, culpa ex parte vocantis DEI quærenda non est. 4. Quia DEUS in vocationibus hypocriticè ageret, ac simularet; quæ est mendacij species. *Quamvis*

Quamvis autem ostendatur exemplis, Deum intentionem suam interdum occultasse; ut contrarium sentire videretur ejus, quod ipsum sensisse, postmodum deprehensum fuit: quia tamen omnia ejus fuerunt generis, ut simularetur malum, occultaretur bonum (id, quod à Deo non est alienum, neq; inter homines honestati, aut dilectioni proximi adversum) cōtrā, si bonum hoc simularet, malum occultaret, certè dilectioni proximi, honestati, adeoq; naturæ divinæ *Φιλανθρωπῶ* extremè ageret cōtrarium. Vocat autem Deus omnes homines, ut participes reddantur beneficiorum Messia: Ergò eos hoc medio indurare, aut illis graviolem damnationem accersere, simulatio est detestanda. Ergò à Deo aliena: Ergò vocationis, aut vocantis culpā non emanent vocati, sed propria.

35. VI. **Quia Deus judicabit impios, quia verbo de Christo crucifixo, ejusque satisfactione non crediderunt.** Conqueritur *Polan. Synt. lib. 6. cap. 18. pag. 192.* argumentum hoc in formam Syllogisticam redactum abs nobis non fuisse: Ipse autem taliter format. *Si impij in novissimo die hac ipsa de causa damnabuntur in æternum, quia beneficia mortis Christi in Evangelio oblata fide non sunt amplexi: certè si ea beneficia ipsis non essent acquisita, tūm damnarentur ideò, quia nolissent credere mendacio, id est, quia nolissent statuere, Christum pro ipsis esse mortuum: si mendacium est, quòd Christus mortuus sit pro damnatis. Quomodo verò non hac ratione periclitetur justitia æterna judicis, si damnaret impios ob hoc ipsum, quòd mendacium pro veritate amplecti recusassent? Resp. Sophisma hoc est intricatum & malè consarcinatum, & ἀσολογιστικόν: ac rectè fecissent adversarij, si ipsi Syllogisticè proposuissent. Perindè verò agunt, ac si articulus de morte Christi esset unicus, vel saltem primus fidei salvifica articulus, & qui vel solus creditus homines omnes servaret. Atqui & multò plures & priores sunt fidei articuli, quorum si quis vel unicum non crediderit sufficerit ad ipsum incredulitatis damnandum. Exempla subjungunt: 1. Judæi nolunt credere Jesum esse Christum: 2. increduli, se esse ab æterno electos.*

36. *Resp.* Vis collectionis nō consistit in eo, quòd articulus de merito Christi sit primus aut ultimus; sed quòd doctrina, quæ negata judicium Dei & damnationem sempiternam inducit, sit verissima, & celestis?

coelestis? Affirmantem taliter probamus. Cujuscunque rei negatio causa est, ut negans non saltem hoc in tempore, sed etiam in novissimo judicio condemnetur, eam oportet esse omnium falsissimam, & consequenter, oppositam affirmationem longè certissimā. Ratio, quia judicij norma est veritas & doctrina Christi, *Joh. 12. v. 48. Rom. 2. v. 16.* & ideò nō nisi propter doctrinā falsam damnat. Sed quicunq; Impij, & in hoc seculo, & judicio futuro ideò damnabuntur, quia negarunt, aut saltem fide non affirmarunt, Christum pro suā redemptione mortem oppetijisse. *Joh. 3. v. 18. qui non credit, jam judicatus est, QVIA non credit in nomen &c. cap. 12. v. 48. sermo quem locutus sum, judicabit eum in novissimo die. Johan. 16. v. 11. Spiritus Sanctus arguet mundum, QVIA non credunt in me.* Ergò Christum pro impijs, atq; sic omnibus hominibus mortuum non esse (quod thema est Calvinistarum) oportet esse falsissimum: & consequenter; quòd pro omnibus &c. verissimum.

37. Gemina objecta fuit instantia; sed neutra nervum argumenti tangit. Nam 1. rectè argumentor: cujus rei negatio damnationem causatur, ejus opposita affirmatio verissima est: Atqui, negatio, quòd Jesus Nazareus sit Christus; damnationem causabitur Judæis, &c. Ergò affirmatio opposita (scilicet Jesum Nazarenum esse Christum) est verissima. 2. Alia est ratio electionis, alia redemptionis. Illa non immediatè creditur, sed mediante fide, quā redemptio fuit apprehensa; non est igitur electio objectum fidei immediatum ac propriè; sed mediatum & minus propriè dictum: sed neque monstrat Polanus, ideò quemquam condemnari, quia credere noluit, se esse electum. Si enim Judas hoc credidisset, utique falsum credidisset, quia electus non erat; & idcirco propter non creditam electionem, salvā DEI justitiā & veritate, damnari non potest. Contra verò, quia in Christum finaliter non credidit (fides autem officium, quatenus pro credente præstitum, intuetur) condemnabitur: certè verum esse oportet, pro Judā Christum mortuum.

38. VII. Quia doctrina de particularitate meriti Christi solatium conscientijs afflictis, & onere peccati pressis, eripit. In hoc utique differre oportet Christianismum à quocunque falso cultu, aut erroneā doctrinā, ut ille consolationem solidam

dam & in quibusvis tentationibus consistentē cordibus coangustatis, & contritis præbeat; quam illa non valet: ideò falsa deprehenditur omnis doctrina tale solamen pijs eripiens. Argumentamur. Omnis doctrina Christianis suum solatium annihilans est minus Christiana, sed falsa, & impia. Talis est ea, quæ docet Christum tantum pro quibusdam, non verò omnibus esse mortuum. Quod ulterius sic confirmamus. Quæcunque doctrina plerisque hominibus denegat illud, sine quo nemo hominum ullo pacto & ratione salvari potest, omnibus verò dubium & ambiguum reddit; ea Christianis omne solatium adimit, quod clarissimum. Atqui: hoc facit dicta Calvinistarum doctrina; 1. Negans Christum pro parte humani generis omnium maximā mortuum. 2. Affirmans quidem, aliquibus hoc beneficium à Salvatore præstitum; qui verò illi sint, neminem docere valens. Arque sic ex puris particularibus conscientias tentationibus pressas argumentari docet: Quidam homines sunt à Christo redempti. Ego sum homo: Ergò à Christo redemptus: quod cum vel naturalis Logica vitij arguat, nil restat præter dubitationem; sitne quis in exiguo redemptorum numero? quæ quomodo conscientiam reddat tranquillam, videre non possumus.

39.. III. MEMBRUM. Particularem redemptionem Calviniani sic probare annituntur. 1. *Christus redemit aliquos; quia populum suum, multos, oves, filios Dei, Ecclesiam, electos, Israel, &c. quæ omnia particularitatem inferunt. Piscat. cont. Schaf. Thes. 59. de rat. Dei cont. Hemm. pag. 8. Zanch. de Nat. Dei lib. 5. cap. 2. de prædest. q. 1. Thes. 1. Bucan. loc. 36. quest. 28. Polan Syntag. lib. 6. cap. 18. p. 177. Anon. pag. 45. 50. 55. 57.*

40. Resp. Committitur *ὁ ὀρισμὸς* ignorationis Elenchi; controversiæ enim status minimè omnium in eo consistit; an Christus redemerit populum suū, multos, oves, filios Dei, Ecclesiam, electos, &c. nec enim hoc nostrū quisquam negat: sed, an eos *solos*; an *etiam reprobos*? &c. prius affirmant hæc aliaque Scripturæ loca, posteriùs non negant. Neque enim; quod affirmatur de electis, id negatur de reprobis. Illi in Ecclesiam colliguntur, ergò hi non? diversum suadent Christus, *Matth. 13. v. 24. 25. 48.* & Paulus *1. Cor. 11. v. 19.* Electis verbum Dei prædicatur, Ergò non reprobis? aliud docemur. *Matth. 13. v. 19. & seqq.* Electi baptisate tinguntur, Ergò non reprobi? Diversum habes, *Act. 8. v. 13.* & quotidianis exemplis. Electi percipiunt, sacr. cœnam. Ergò non reprobi? Vide, quomodo enervetur consequentia, *Luc. 22. v. 20. 21. 1. Cor. 11. 29.* Utq; stultè colligis: ex gentibus collecti Christiani salvantur. Ergò non illi, qui sunt ex

Judæis: sic eâdem sapientiâ, quia electi sunt redempti, reprobos redemptos negas. Quis nescit *inclusionem unius non protinus esse exclusionem alterius*? ut Calvinianam exclusionem non probet inclusio, quam Sacrae literæ exhibent. Et probè notandum, in plurimis istis locis, ubi electis, ovibus, &c. attribuitur redemptio; nusquam exclusionem reperiri: quod argumento est; Electos esse redemptos, ut tamen redempti non negentur cæteri. 2. Quod verò peculiariter oves, electi, filij DEI, &c. redempti asseruntur, causa est, quia ad illos redemptionis fructus dimanavit, ut dici possint duplici nomine redempti, uno per Christi ἀντίλυτρον, altero, per fructus illius actualem perceptionem, *Matth. 6. v. 13. Apoc. 5. v. 9.* Minimè verò quòd salutem ijs solis promeruerit Salvator. Committitur ergò fallacia causæ.

41. II. Pro quibuscunq; Christus est mortuus, pro illis etiam oravit. Pro solis autem electis, non pro impijs oravit. Ergo pro solis electis, non autem impijs, est mortuus. *Zanch. misc. p. 332. de nat. Dei. lib. 5. cap. 2. de præd. q. 1. th. 1. Keck. syst. Theol. l. 3. c. 4. Perk. ser. caus. salut. c. 3. l. de præd. & grat. Dei. p. 121. Anon. p. 53. Piscar. cont. Schasm. th. 59 Resp. 1, ad majorem, veram illâ esse cū limitatione: distinguendum siquidem inter orationē quamcunq;, & sacerdotalem; sive, quam Christus, QUATENUS sacerdos, fudit *Heb. 5. v. 7.* Consequentiam non admittendam de quavis prece, non opinor ulli dubium posse fieri: siquidem Christus orans pro seipso, ut calix transeat, *Luc. 22. v. 42.* pro Lazaro suscitando, *Joh. 11. v. 42.* pro surdo ac mutuo sanando *Marc. 7. v. 4.* non oravit pro Tito, aut Timotheo, nec tamē ideò pro illis sacrificasse negabitur; quia oratio illa sacerdotalis nō erat. Ita cui potest esse dubiū, Christū antequā officium aggrediretur multas, variasq; preces fuisse ad Patrē? easq; generales, speciales, singulares, pro personis diversis, pro bonis diversis &c. nec tamen, qui non omnibus istis precibus fuit comprehensus, ideò sacrificio Christi privabitur. Quapropter vera manet propositio tantum de oratione sacerdotali, de quacūq; nō itē. 2. Nunc igitur, quādo ait Christus: *non oro pro mundo*, cōcedimus promti, Christū speciales preces fecisse pro pijs, pro Ecclesia, pro electis, quemadmodū nos etiā specialiter precamur pro ægrotis, agonizantibus, parturientibus, peregrinantibus: in quib. orationibus specialibus non-ægroti, nō-parturientes, &c. non comprehenduntur, qui tamen proinde à precibus in universum non excluduntur. Atq; sic Christus utique oravit pro electis, ut tamen reprobos non excluderet; oravit pro hostibus (mundo) ut tamen pro amicis orare non desisteret.*

42. Coeterum; minorem negantem Christum pro mundo orasse; dicimus esse falsissimam. 1. Quia pro inimicis oravit, *Luc. 23. v. 34. Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciant.* His precibus comprehensos multos eorum, qui nunquam egerunt poenitentiam, vix ulli potest fieri dubium. Fuit autem hæc intercessio maximè censenda sacerdotalis, quippe tunc peracta, quando victima patri offerebatur. *1. Pet. 2. v. 24.* Unde patet, cum, minorem esse falsam, tum, argumentum universum sic invertendum. Pro quibus Christus oravit, pro illis sacrificavit. Sed pro impijs oravit: Ergò pro iisdem sacrificavit. 2. Quia pro hostibus, & ijs, qui nobis sunt adversi, nos orare iussit. Est intercessio Christi nostrarum precum fundamentum, ut has frustra paremus, nì suis precibus Christus viam pararit. Hinc argumentamur: pro quibuscunq; nos tenemur orare, pro iisdem oravit & Christus: sed pro omnibus hominibus, adeoq; etiam impijs, orare jubemur, quod constat ex præcepto Christi *Matth. 5. v. 44. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Et Pauli *1. Tim. 2. v. 1. 2. Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt.* E. Christus pro illis primus oravit. 3. Quicumque est filius patris cœlestis, is orat pro hostibus, *Matt. 5. v. 45. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos &c.* Christus autem est non saltem filius, sed etiam unigenitus & natus: Ergò pro inimicis, adeoq; pro mundo oravit. 3. Porro: Ostendendum est ex textu; Christum præcisè non de alia, quàm sacerdotali oratione loqui. Quod antequam fiat, nos causas & rationes damus, (citra debitum) quibus negativam probemus. 1. Certum est, si pro ullo unquam homine oravit Christus, tunc illum orare debuisse, quando omnium precatus est efficacissimè, & precibus alijs omnibus fundamentum posuit, ac vim promeruit: & pro quo fudit preces quotidianas, pro illo & sacerdotales, ex his quippe illarum effectus pendet, & sine his illè fundamento, vi & efficaciâ omni destituuntur. Sed precibus quotidianis oravit pro mundo. E. & sacerdotaliter. 2. Sacerdos Leviticus, quâ sacerdos, oravit pro omni populo. Sed Leviticus ille, quatenus sacerdos, typus erat Christi, quem isti respondere necessum est: Quare Christus multò magis ut sacerdos pro omnibus

bus oravit: quod hujus gratiâ longè sit amplior, atque illius.

43. III. Pro quibus Christus est mortuus, eos utique novit. Sed reprobos non novit, Matth. 7. v. 23. Ergò pro reprobis non est mortuus. *Polan. Syntag. 1.6. c. 18.*

44. R E S P. Esse distinctos illius notitiæ gradus, extra dubium esto positum. Intelligi verò notitiam non generalissimam, & substantiæ, sed gratiosam, nemo in litem trahit. Dum Ergò inquit Christus: *non novi vos*, nullam præter gratiosam notitiam negabit. Porro: gratiosè sunt Deo noti, quos vel ita generali gratiâ complectitur, ut filium pro ijs miserit; *Iob. 3. v. 16.* quorum aliqui ob ingratitudinem, ceu nunquam cogniti, ejiciuntur; vel gratia speciali, quâ generalis ista per fidelem perseverantiam omnimodè completur. Si major propositio accipiatur de notitia gratiosa generali, vera est, sed falsa minor; ob *ὁμωυυία* in voce *nosse* hærentem. Si de speciali, & electorum propria; dicimus, concessa majore, in minore peti principium, ideoque majorem ob confusionem (Calvinianis quidem frequentissimam) voluntatum (atque actionum hinc dependentium) antecedentis & consequentis negamus: Mors Christi ad priorem, notitia specialis ad posteriorem spectat: Jam verò latitudo utriusque inæqualis est, ab una ergò ad alteram fallax est consequentia.

45. IV. Pro quocunque mortuus est Christus, illius personam patièdo & morièdo sustinuit: At: personam impiorum non sustinuit. Ergò pro impijs non est mortuus. Ita *Perkins. de predest. & grat. pag. 121.* Respond: Majore extra omne dubium constitutâ, minorem dicimus falsissimam. Quia i. homines considerati, quatenus Christus illorū in cruce personam egit nullo pietatis aut impietatis discrimine differunt; ut n. sani Medico non egent, sed ægroti *Matth. 9. v. 12.* Sic filius Dei non venit vocare iustos ad pœnitentiam, aut personam istorum agere, sed *peccatorum.* Ita certè sustinuit personam Abrahamæ, Johannis, Petri &c. non, ut piorum, aut credentium, verum UT IMPIORUM: idque tota scriptura clamat: Ergò Christus personam egit, non nisi impiorum, & *quatenus impiorum.* Sic neque respexit ad electionem, ut indueret personam illorum tantum, qui licet sint peccatores, attamen ad salutem electi, præterquam enim quòd tale quid nus-

quam scriptum legitur, electio est effectus meriti Christi, Eph. 1. v. 4. non ergo eiusdem causa. 2. Egit personam crucifigentium, ipsum Luc. 23. v. 34. hi autem erant impij: & quis eos omnes electos diceret, cum non constet, unusne illorum unquam conversus fuerit? 3. Ceciderunt super eum opprobria eorum, qui Deum opprobrijs affecerant: quorum autem peccata super Christum ceciderunt, eorum etiam delicta tollendo personam sustinuit. Psal. 69. v. 10. 4. Quam multipliciter scriptura phrasibus æquipollentibus affirmet, Christum egisse impiorum personas, superius visum est: quo stante, ostendere jubemus adversarios contrariam negationem, ubi scriptum extet, impiorum personam Christum pati non sustinuisse; interim grandi vitio loquuntur *ἀτρεγ γεαφῶν*.

46. V. Ad quos pertinent fines mortis Christi, pro iisdem solis mortuus est Christus. At: fines mortis Christi ad solos pertinent credentes, quod ex ista inductione patebit. Mortuus est Christus ut peccatum extingueret, nos à morte æternâ liberaret, liberos redderet, cum ipso caro nostra mortificaretur, homines non sibi vivant, sed cum ipso vivant &c. Ergo &c. *Polan. Synt. lib. 6. cap. 18. Calculum addit Perkins. lib. de præd. & grat. crim. 4. p. 136. quibus destinatur redemptio, ijs etiam datur ex parte Dei si iatio per Christum: At filiatio sive adoptio non datur omnibus & singulis vel ex parte Dei &c. pag. 122. Victima expiatrix sanctificat eos, pro quibus victima est. Heb. 9. v. 13, 14. Ad eosdem pertinet & victima & sanctificatio.*

47. RESP. I. Distinguendum est inter finium destinationem & eorundem assecutionem. Notum enim, causas antecedentes, non semper finem suum consequi, sed nonnunquam impedimentis intervenientibus eo frustrari: Unde etiam generaliter à fine intento ad causam præcedentem negativè argumentari prohibent Logici; & in hac ipsa materia consequentiam esse fallacissimam, superius demonstratum est. Quapropter majorem (ad quem

quemcunque pertinent fines mortis, pro eo solo mortuus est Christus) de finium intentione loquentem, ut falsissimam negamus, ob causas in præcedentibus allegatas. Ita: si intelligantur fines actu percepti, certum quidem est, ad quem finis pertinet (hoc est, qui fine actu fruitur) ad eum pertinet etiam causa finis: Interim propositionem affirmativè, & cum addita exclusionem (ad quos pertinent fines mortis Christi, pro illis SOLIS est mortuus) pronunciantem; & negativè concludentem, ut qui ab actuali finium perceptione excluditur, ideò à finium quoque causa excludi sequatur, inficiamur. 2. Minorem propositionem, si fines ut à Christo hominibus impetrati accipiantur, falsissimam esse, quis non videt? Ideò mortuum esse Christum, ut peccatum in omnibus extingueretur, omnes à morte æterna in vitam assereantur, omnes non sibi vivant, sed Deo &c. superius dicta declarant. 3. Rectius verò argumentum invertimus: Ad quoscunque ex voluntate Christi & conditione meriti fines mortis pertinent, pro illis est mortuus: sed; de voluntate Christi & meriti conditione ad omnes homines pertinent mortis fines, Ergò Christus pro omnibus hominibus est mortuus.

48. VI. Quæ doctrina tollit solatium Christianorum, ea est falsa & Christianismo adversa: sed doctrina de universalitate meriti Christi & redemptione illorum, qui postea damnantur, tollit solatium Christianorum. Ergò est Christianismo adversa.

Anon: pag. 47. Debilitaretur & annihilaretur solatium Christianum, quod in morte Christi monstrat Evangelium, si verum, & admittendum esset, multos, pro quibus Christus simpliciter mortuus, nihilominus æternam damnari. Esset namque frigidum, si peccator in morte Christi sese fundare deberet, ac nihilominus ex puris particularibus ita concludere: Quidam pro quibus Christus est mortuus, salvantur. Pro me est mortuus. Ergo salvabor. Vide pag. 137. & Beza gloss. mai. ad 1. Tim. 2.

49. R.E.S.P.

49. **RESP.** Consolationem suam petere debent homines Christiani ex duobus fundamentis. 1. Deo & Christo. 2. Seipsis. Ex DEO, quatenus ipse salutis autor, *Hebr. 12. v. 2. α. & ω.* principium & finis, *Apoc. 1. v. 11.* sine quo nemo quicquam potest facere, *Joh. 15. v. 5.* Estque hac ex parte solatium firmum, quando Deum & Salvatorem Christum facere docemur omnia, quaecunque ad salutem nostram ab ipso fieri est necessarium: Vacillat & fluctuat, cum aliquid videmus à Deo intermitteri, aut, an intermittatur, dubium fieri, sine quo tamen simpliciter salvari non possumus. *Ex seipsis*, non, quasi quisquam salutem suam valeat aut operibus bonis promoveri, aut virtutibus suis utcunque promovere: sed quia impedire valet, ac seipsum vitæ æternæ dono, gratuitâ Dei gratia oblato, privare. Petitur ergò hinc solatium, si videat, non saltem salutis suæ necessaria fieri à Deo, verùm etiam semet ordini divinitus sancito & constituto insistere, animoque esse in veritate fidei confirmato, & contra quaecunque adversa obfirmato, *quamvis*

Jam igitur propositio minor æstimat solatium Christianum vel ex alterutro, vel ex utroque. *Si illud*: dicimus committi fallaciam divisionis, & similem institui argumentationem, ac si quis pauper ita colligat. Quæ doctrina pauperibus eripit solatium, minus est pia: sed cum docetur; Regem vocasse omnes pauperes ad epulas nuptiales lautissimas, est talis doctrina; quia docentur vocati etiam ij; quos postmodum (ob contemptum epularum, & iniurias regis servis illatas) idem Rex igne & ferro ad internecionem poscit. Ergò &c. Ut verò patet, collectionem esse fallacem, quia etsi depromatur cōsolatio ex parte priorē (quid nimirum Rex fecerit ex parte sua) ex posteriore tamen rursus evertitur. Sic dum Christi meritum docetur universale, est doctrina solatio plenissima, quia verò effectus huius meriti actu percipitur tantum à credentibus, non autem omnes (quod ex altera parte requiritur) credunt, jam solatium evertitur, & tali non credenti minimè accommodari potest: cuius tamen causa non est in Christo quaerenda promerente, sed homine non credente. Rursum E. in crassam fallaciam incurrit collectio; videlicet causæ. Si vero *ex utroque* petitum solatium intelligatur, certè falsissima est minor, quando enim homo prius attendens meriti universalitatem, atque

hinc

*Paulus ex oratione
falsus de i. mil.
allentia p. l. l. l. l.
ti di, quamvis
ul. quidam l. l. l.
3. q. d. probi
in solo, & c. II
na di apera p. l. l. l.
q. s. p. p. p. p. p. p.
quam sic l. l. l.
ul. r. f. l. l. l. l.
ing. l. l. l. l.*

*In d. p. p. p. p. p. p.
q. l. l. l. l. l. l. l.
l. l. l. l. l. l. l.
drat.*

hinc ad se quoque idem spectare colligens, vivam fidem concipit, utique solatio, omni sua parte absolutissimo, nil quicquam deest: quod absque universalis meriti doctrina consistere non posset. Nec illi obstat, quod per Christum redemptorem multi æternum pereunt; quia scit, non fieri illud ex causa in Deo residente, sed in homine gratiam per incredulitatem contemnente, repellente, à qua impietate ipse, quippe donatus fide, sit alienus.

CAPUT V.

De Meriti Christi applicatione.

1. Huc quando pervenerat *Anonymus*, statum controversiæ demùm figendum ratus, hinc rhodum ait, & sententiarum divortia. *cap. 9. p. 89. Clamant (Lutherani) Christum sine discrimine pro omnibus hominibus mortuum, sive respiciatur ad ejus propositum & voluntatem, sive oblationis sufficientiam, sive fructum & applicationem ejusdem. Si verò declaratio illorum observetur, propriè controvertitur (quantum ad hoc certamen) de tertio questionis sensu, hoc est, applicatione & operatione mortis Christi. Cap. 9. pag. 100. Proprius & verus controversiæ status est: non ille: An Christus pro omnibus hominibus sit mortuus, sed hic: An Christus per mortem suam omnes impios, maledictos, & æternum damnatos diaboli Angelos non minus, atq; omnes electos, credentes ac beatos Dei filios in sinum gratiæ Dei reposuerit, emundarit, sanctificarit, ac beatos effecerit? Utque rem lector simplex rectè assequatur, notandum, non queri de morte Christi, aut ejus dignitate & virtute, sed de efficacia & fructu mortis Christi, an nimirum ille omnibus hominibus contigerit, contingat, an secus? Quod idem repetitum invenies *cap. 5. pag. 37. Item 102. seq. 106.**

2. Nimium impostorem agit *Anonymus*, dum crimine, cujus ipse reus est, alios contaminare satagit. Quid est, candore deposito, adversarij sententiam pervertere, si hoc non est?

est? Quid, controversas fingere, & cum larvis pugnant
ire, si hoc non est? Taceo, quòd nobis opinionem teterri-
mam impingere videtur, quasi statuamus, *Christum pro lapsis*
angelis mortuum; quæ à nostris Ecclesijs nunquam non fuit a-
lienissima. Certè: controversiam esse *de applicatione*, dum
ait; aut insignem animi morbum prodit, quo cum ipso non
facientes, affictis opinionum monstris orbi Christiano, ceu
eorundem architectos, exponere non erubescit: aut sanè im-
peritiam Theologo indignam, & in controversiarum confi-
deratione supinam negligentiam testatam facit; quod, si mo-
dò non fungus est pro cerebro, inspectis utriusque partis di-
sputationibus, neque à suis applicationis præcisè universali-
tatem impugnari, multò minus à nostris propugnari, ipsum
vidisse, si non manibus palpasse oportuisset.

3. Quid Huberus in hoc negotio scripserit; non attendi-
mus. Nec enim est ipse nostra Ecclesia, sed à nobis exijt, si-
bi relictus: scripserunt ac locuti sunt quàm plurimi hac de re
magis sobriè, quos rectius attenderet Anonymus. In primis
verò publicum actum *colloquij Mompelgartensis*, qui rem uni-
versam perspicuè explicuit, ac intentatum errorem multiplici-
ter improbavit. Sic enim Jac. Andr. pag. 545. *Causam ostendit*
(Salvator) cum DEUS omnes dilexerit, ut daret filium suum pro
illis, cur Christus non omnibus profit, & omnes ex a quo salventur.
Quoniam illi tantum salvantur, qui credunt, hoc est, Christum ve-
râ fiduciâ complectuntur. Qui verò non crediderint, hi simul o-
mnes damnantur pag. 546. Hinc illud vulgare dictum: *Christus*
mortuus est pro omnium hominum peccatis sufficienter, sed non effi-
sienter: quia plurimi hoc beneficium contemnunt, idè eis nihil pro-
dest. Non quòd Christus noluerit omnibus prodesse, sed quod ma-
xima pars hominum id nihil curet &c. Nimirum satis perspicuè
damnatur crassus ille error, pro quo Anonymus abs nobis
contra Calvinianos hætenus pugnatum, aut per tetram ca-
lumniam, aut pudendam inscitiam nugatur.

4. Si quis forsan ex nostris ita fuit locutus, omnes male-
dictos, Turcas, Ethnicos, ac Diaboli filios, æquè ac Petrum,
Paulum, omnesque fideles Christianos per Christi sangui-
nem

nem in sinum gratiæ, & beatitudinem fuisse repositos; uti nostratum verba refert *Anon. pag. 103.* nos id de actuali fructus passionum Christi perceptione intellectum, ut minus pi-um in totum reijcimus, uti **S E M P E R** rejecimus: attamen, ut fructum passionis exaggerans, omni incommoditate care-re putamus, quòd indicet, Christum, quoad suum officium, & tantillum fecisse reliqui, quo minus omnes homines, Tur-cæ, Ethnici, quiq; sunt filij Diaboli, actu in sinum divinæ gratiæ ac æternæ felicitatis reponerentur, quod quamvis actu non sequatur, defectum tamen ex parte Christi fuisse planè nullum. Quo eodem sensu & Paulus inquit, in Christo omnes justificari & vivificari. *Rom. 5. v. 12. seq. 1. Corinth. 15. v. 22.*

5. Conquerimur ergò coram **D E O**, & Salvatore nostro Jesu Christo, vivorum ac mortuorum iudice, ejusq; Eccle-siâ, nos à Calvinianis errorum nobis nunquam non impro-batorum, sine candore ac fronte, reos peragi, utq; is Ecclesiæ hoc alijsq; modis pressæ subveniat, causam ejus judicet, mentes eorum, qui veritatem fidei sincerè quærunt, illumi-net, ut illi vel tandem Calvinianum spiritum ex his suis virtu-tibus agnoscere discant; cæteros per imposturas, fraudes & mendacia errores provehere nitentes, injecto freno, coërceat, quò acies Israelis probris afficere vel tandem desinere jubean-tur. Exaudi votum hoc nostrum, per tuum divinum
actuorem, sanctissima vulnera, & acerbissimam
mortem,

A M E N.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



05 A 1916

ULB Halle

3


003 784 894



V017
Oh







VERSIA

ERSA-

MERITI

STI,

alvinistæ Mar

leinot vom Tode Christi/
conentur, Ecclesiæ ob

ur,

formata, ex ver-

sa,

TATIONIS LOCO

ensi Academia


osita

UNNIO D.

ol.

VVittebergenfi.

nis.



GÆ

NNIS MATTHÆI.

XVII.